DELICIAE REGUM PANIS EUCHARISTICUS, COMMUNI FIDELIUM...

Johann Hermanni



DELICIÆ REGVM
PANIS
ÆVCHARISTICVS,

Communi Fidelium Vſui

E CHRISTI ET ECCLESIÆ

SENSV

Sanctè ac Salubriter

FREQVENTANDVS
PROPONITVR.


A Patre Ioanne Hermanni
Societatis IESV.





Romæ, Typis Vareſij. 1671.

Superiorum Permiſſu.


TECA NAZ.
MA
VITTORIO EMANUELE

ILLVSTR.MO CELSISSIMO
PRINCIPI
AC REV.MO DOMINO
D. ANDREAE
TRZEBICKI
Dei & Apostol. Sedis Gratia
EPISCOPO CRACOVIENSI,
DVCI SEVERIÆ, &c.
Domino & Patrono Colendiss.

Ill.me Celss.me PRINCEPS.

DElicias Regum, quas hic affero, quia de Pane sunt Eucharistico; Sanctiores esse oportuit, quam vt obuio cuique primum deseruirent; vel profano, ante omnes alios, delibarentur sensu.

Sacratiorem itaque iure ſuo expoſcunt mentem ac manum, qua tractentur, quam expleant. Vtrumque in Tua Celſitudine, Principe & Antiſtite, abundè habituræ. Celſitudinis Tuæ proinde ambitiosè ſubeunt dexteram, beneuolum veniunt exploraturæ guſtum. Quem ſi quidem pro ſuo voto merebuntur illæ; Celſitudo Tua perbenignè quoque præſentes, vt auguror, admittet pagellas. quas Ego, & debitæ pridem obſeruantiæ meæ recens in argumentum, & nouæ obligationis titulo, Cel. Tuæ fero inſcriboque Vectigales. Et verò, dum in Regia Cracouienſi tuæque Paſtorali curæ ſubiecta Vrbe, ad Regiam Sanctorum Petri, & Pau-

lij Societatis nostræ Basilicam, felicissimis Tuæ Celsit. sub auspicijs, Magnificum eidem Societati Nostræ assurgit Domicilium: Socios quidem aliàs vniuersos, vel maximè tamen Celsitudini Tuæ obstrictos fatemur eos; qui præclarè cæpti Operis, iucũdi spectatores, & Munificentiæ Celsitudinis Tuæ ad hæc fructuosè vixere participes. Quos inter, vt me ipsum studiosè connumeratum velim; ita Beneficum Fundatoris Nomen, continuo beneficiorum illapsu altius impressum animo, memori quoque hac, Orbi in Vrbe, loquor ac edico pagina. Quam, dum vnà cum prorogatæ in æuum, ac secundis semper euentibus pro-

ſperæ Valetudinis Voto, Celſitudini Tuæ ſupplex porrigit; benignè admitti poſtulat. Romæ 15. Aug. 1671.

Eiuſdem Illuſtriſs. Celſ. Tuæ

Deuotiſſimus Seruus

Ioannes Hermanni Soc. Ieſu.

IOANNES PAVLVS OLIVA
Præpositus Generalis Societatis IESV.

CVm Opusculum, cui titulus: Deliciæ Regum Panis Eucharisticus, à P. Ioanne Hermanni nostræ Societatis Sacerdote conscriptum aliquot eiusdem Societatis Theologi recognouerint, & in lucem edi posse probauerint, potestatem facimus, vt typis mandetur, si ita ijs, ad quos pertinet, videbitur. Dat. Romæ 30. Iulij 1671.

Ioannes Paulus Oliua.

Imprimatur, si videbitur Reuerendiss. P.M.S.P.Ap.

I.de Ang. Archiep. Vrb. Vicesg.

Imprimatur,
Fr. Hyacinthus Libellus Sac. Pal. Apost. Mag.

Pinguis Panis eius, & præbebit delicias Regibus Gen. 49.

Audite audientes me, & comedite Bonum, & delectabitur in crassitudine Anima vestra. Inclinate aurem vestram, & venite ad me. Audite, & viuet Anima vestra. Isai. 55.

Festinate ergo Frequenter ad Eucharistiam, & gloriam Dei accedere. Quando enim hoc ipsum assiduè agitur, expelluntur potestates Sathanæ. S. Ignat. Mart. Epist. ad Ephes.

PROLOQVIVM.

DIuinissimum Eucharistiæ Sacramentũ, Quod *a* Ambrosio teste Reges, *b* Hieronymo Principes efficit, Delicias hic voco, vt gustũ faciam; Panem appello, vt Communem vsum illius suadeam. In vtroque clare secutus Scripturam, & Patres. Vt hac ratione vel in ipso libelli aditu inuenires quod famem acueret, quodque ad frequentem Cælestis huius Epuli vsum Te moueret. Et permoueret quidem non dubito, si prima ardenter famescentis Ecclesiæ viueremus sæcula. Cæterum, quod alias frigidioris Temperamenti Hominibus euenire solet; vt vel ob-

a Ser. 17 in Ps. 118 circa med.
b in Isa. 28

   ob-

obtusiore ad palati delicias sensu easdem minus appetant; vel impari ad grandia sublimiaque animo, in ijsdem pauide difficultates & pericula metuant, quibus deterrentur. Idipsum, refrigescenti in Charitate Mundo plane accidisse videas: vt remissiore, planeque frigido ad Diuiniores gustus sensu; eorundem appetitu vel penitus non incalescat, vel degeneri à sublimibus filiorum Dei cogitationibus; in Alto, sed Tuto Bonorum omnium, pericula quærat; nec inuitus habeat, metumq; passim faciat alijs, ipse patiatur. Age enim! amabilissimo Dei Hominis ad sese liberaliter inuitantis consortio, quid suauius, quid tutius, quid beatius cogitari possit? At ecce! vel iners

fla-

flaccidè nauseantis Animi tepor, vel friuola pusillorum terriculamenta, apud plerosque extorquent Euangelicum quidem, sed inurbanum illud: Excusatum me habe, non possum venire. Non iam quia villam emi, aut paria boum. Sed quia nescio quæ prætensa, superstitiosa. (vt cum Augustino loquar) timiditas, exaggeratum à frequentatione tam Salutaris Cibi periculū. Verum quod illud? Nullum iustum audio, meras vmbras, & terriculamenta video. O Boni! Accedite & illuminabimini, gustate & videbitis; quoniam longe suauior multo sanior sensus Domini. Quem ego pluribus hoc loco expositum velim, eo fine; vt Nutantes solidet, pusillanimes

Luc. 14.

Epist. 118.

Ps. 33.

confortet , frequentantes confirmet, ac corroboret. Omnibus frequentationem Euchariſtiæ, vt ſanctam, ac ſalubrem perſuadeat, ad deſiderium, ad vſum, ad delicias. Fiat.

CA-

CAPVT I.

Frequens SS. Eucharistiæ vſus, Sanctus ac ſalubris ſtatuitur, è CHRISTI ſenſu.

EXtra periculum Mali, prorſuſque Bonum ac Sanctum ſit oportet, id quod CHRISTI conforme eſt ſenſui vt fiat, fierique deſiderat ipſa Eſſentialis Sanctitas.

At, de frequentatione SS. Euchariſtiæ Sacramenti, quis cognouit ſenſum Domini?

Iidem plane qui de Inſtitutione, ſimul & de frequenti vſu edocti, nobis eundem euulgarunt. Age fac inſpiciamus Scripturas.

Ego

§. I.

1.Cor. 11. Luc. 22. *EGo enim accepi à Domino, inquit Apostolus, quod & tradidi vobis; quoniam Dominus IESVS in qua nocte tradebatur accepit panem, & gratias agens fregit, & dixit: Accipite, & manducate. Hoc est Corpus meum quod pro vobis tradetur: hoc facite in meam commemorationem.*

D Th. in 1. Cor. 11 Lect 6. En vsum iniunctum: sed & frequentationem vsus, ad Christi sensum ac mentem. Peracto nimirum operoso Redemptionis nostræ negotio, exantlatis pro salute nostra laboribus, sanguine fuso ac vita, victor ad Superos rediturus, adeoque visibilem sui præsentiam Charis suis quos in Mundo relinquebat, olim subtracturus.

rus, Inuisibilem se anticipato reliquit in Sacramento. Cuius Vsum esse voluit, non ad refectionem modo. sed etiam ad Memoriam, sui scilicet, & eorum quæ pro nobis gesserat. Memoriam faciens Mirabilium suorum, escam dedit. Vsum igitur huius Panis desiderat, eumque simul ordinat in sui Memoriam. Ps. 110

Iugem ne, ac frequentem? an verò perraram aut vix yllam! dubitationi locus esse non potest: Nisi alicui dubia sint Parentum desideria id iure exigentium, vt cum vitam, ac hæreditatem dederint Filijs; hos, grata semper ac iugi viuere velint sui memoria. Vel incerta Amicorum Vota id postulantium, vt cum indiuiduis socientur animis,

vnam

vnam eamque continuam reciprocent, Amoris ad incentiuum, memoriam.

Et æternus Dei Filius, Parens simul nostri optimus, pridie quam pateretur, suaque morte mortem nostram destruendo, vitam
1. Cor. 11. nobis repararet; Testamentum in suo liberaliter pro Nobis fuso condens sanguine; non iugem sui, iure exposcat Memoriam! Quique diu multumque desiderio desiderauit hoc Pascha
Luc. 22. manducare cum suis; non ardenter desiderauerit, nos sui huius desiderij diu multumque Memores? Amicos
Luc. 12. pridem nos edixerat suos quorum vt alia communia; ita, & communem voluerit Memoriam: vt quemadmodum ingenioso amore proprio stimulati, nunquam

non

non memores Nostri viuimus ; ita & illius Nostrum omnium Amicissimi, non obliuisceremur vnquam. Et memoriam quidem iure debemus continuam illi ; cuius meditatio cordis, de salute ac redemptione nostra, in conspectu eius semper ; & merito exposcit is, qui ne nostri obliuisceretur vnquam, In manibus suis stylo clauorum ferreo descripsit nos : *Vt impium sit Bernardo teste, hominem, tantæ pietatis Dei esse immemorem. Cum amici morientis, vel peregrè proficiscentis cõmendatam sibi sub aliquo signo memoriam, nefas sit obliuisci.* Ser. de Cœn. Dõ.

Dicendo igitur : *Hoc facite in mei commemorationem*. Hoc egit, deditque operam; vt frequenter ipsius

Me-

Memoriam faceremus. Proinde & frequenter manducaremus Corpus, ac biberemus ſanguinem ipſius. hoc enim ipſum facere, hoc ipſum frequenter Accipere, & manducare; eſt frequenter facere ipſius quam voluit, Commemorationem.

Licet autem etiam extra ſumptionem Corporis, nos ipſius memores eſſe conuenit: Memoriam tamen hac via, & ratione: per ipſam nimirum ſumptionem ſui Corporis *a* magis glorioſã; ita ſpeciali expectat, ſibique vendicat guſtu: ſicut eam ſpecialiter præſcripſit, ac præcepit. Audi Trident. *Sacramentum hoc inſtituit, in quo Diuitias ſui erga homines amoris velut effudit, memoriam faciens Mirabilium ſuorum. Et in illius ſumptione colere nos ſui memoriam* pre-

a Cle de Reliq & Ven.

Seſſ. 13 c 2.

præcepit, ſuamque annuntiare mortem donec ipſe ad iudicandum veniat.

Per frequentem itaque quam præcepit ſui memoriam: Frequentationem ſui Corporis edocuit. Vtque proinde Sanctum ac ſalutare, Dei & Chriſti frequenter meminiſſe; ita ſanctum ac ſalutare, Corpus ipſius frequenter Manducaſſe; ipſa ſumptione vim Commemorationis obtinente. O ergo vt & Chriſti ſenſus, & æquiſſimum eſt, frequenter nos eſſe memores plurimorum quæ noſtri cauſa perpeſſus eſt: ita & idem ſenſus, & æquiſſimum fuerit; frequenter, non offerre modo hoc diuinum Sacrificium, aut eidem aſſiſtere; ſed & huius SS. Sacramenti participes nos fieri, vt me-

mo-

moria nostra recentior sit & viuacior, gratitudoque magis deuota; dum ei coniungimur, qui tantum bonum nobis per se ipsum confert. Signum fuerit, quod & ipsum Benefactorem, & eius beneficia minus æstimemus: nisi ea frequentia eoque modo gratos nos exhibeamus, quo ipse postulat, ac meretur.

§. II.

Ioan. 6 *CAro mea verè est Cibus, & Sanguis meus verè est potus.*


Ne nudam assimilationem Carnis suæ ad cibum crederes; verè cibum esse edocet. Vt cum veritate simul intelligas: eam ex verò Corporis, & Sanguinis Christi habitudinem esse ad

ad Animam; quæ & Cibi & potus veri, ad Corpus. Nec proinde maiorem ex vero indigentiam cibi ad vitam Corporalem, quàm sit Corporis Domini ad vitam spiritualem Animæ.

Nunc autem, cui non quotidianus? cui non frequens saltem, ordinarij Cibi vsus? Quis annua fame vel inedia libens volensque conficitur ac contabescit! Absq; frequentatione cibi, vita si penitus non amittitur, certe ægre trahitur; idque languida, debilis, & infirma. Vitam viuidam ac rigorosam, in homine sano, Nutrimentum tribuit frequentatum: hoc vires auget & confortat, roborat solidat ac confirmat.

Caro Christi verè est Cibus. Vitā Animæ quæris? eā

vix



vix ſperes abſque Chriſti Corpore. Niſi manducaueritis inquit carnem Filij hominis, & biberitis eius Sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Vt habeas;
Io.6. manduces. Qui manducat me viuet propter me. Habitam, vt delectabiliter conſerues, augeas, ſeu vt abundanter habeas; Frequentatione cibi iſtius opus habes. Venit autem Chriſtus, vt
Io 10. vitam habeant oues ipſius, & abundantius habeant. ac de vtroque ſolicitus, vtrique miſericorditer prouidit, Vitæ quidem, Corpus ſuum; Abundantiæ abundantiam, ſeu frequentationem eiuſdem Corporis ſui attribuẽs. Sic tandem Caro ipſius verè Cibus, & verè Panis. Qui vſu ſuo Animam Spiritu Charitatis imbuit. Fre-

quen-

quentatione accendit eoque prouehit, vt rerum diuinarum ſuauitate animus commotus, deuotè in Deum feratur; ac ſerena ſemper conſcientiæ pace perfruens, virtutum officijs delectetur, vitia oderit, in bono conſtanter perſeueret. Senſim labaſcunt vires, tepeſcit amor, ſpes languet, marceſcit fides; vbi quis obliuiſcitur comedere Panem ſuum. Qui fit (inquit Paſchaſius) ad vitam, & firmitatem animi. Quam imminui neceſſe eſt, ſubtracta panis huius frequentia. Nec mirum. Cum enim in hoc myſterio præcipuum ſit fomentum, imo fundamentum Religionis noſtræ: ſi ex tepore vel faſtidio rarius vſurpetur, pronum eſt, vt nutet fides quæ non ope- Chryſ. hom. 46. in Ioan.

ra-

ratur Charitatem in eum, qui cum dilexiſſet ſuos, dilexit eos in finem, in ſummum, & conſummationem Amoris ſui quo ardebat ipſe. Et cum Ignis ſit, quid & frequenti communicatione ſui præſtare poteſt aliud; quam vt iugiter accendat appropinquantes ſibi, vt ſemper ardeant amore ſui, ac cæleſtium, ardenteſque ac inflammati dilatatique corde, currant & non deficiant, de virtute in virtutem procedant vſque ad vitam æternam. Ad quam finaliter conſequendam cũ grandis labor ac via reſtet, nouis ac nouis in dies ſpiritibus, nouis ac nouis viribus opus eſt: noua proinde ac noua huius diuini Alimenti copia. Manna diuiniſſimi huius cibi figura,
Iſ-

Iſrael per totos 40. annos Quotidie refici eguit ne deficeret: Chriſtianus quoque in vitæ huius Peregrinatione, Pane hoc cæleſti frequentato indigebit ad vitam; ad quam ceu finem, ſumptionem ſui Corporis Chriſtus voluit ordinatam.

§. III.

HIc eſt Panis de Cælo deſcendens; vt ſi quis ex ipſo manducauerit non moriatur. Io. 6.

Corpori de quotidiano Pane ac alimento prouidetur, non tantum ad augmentum vitæ ac virium; ſed etiam ad refectionem ac inſtaurationem eorum, quæ per natiuum calorem conſumpta ac deperdita ſunt; ſine qua reſtauratione, ſen-

ſim imminuti ac deficientes, viribus linqueremur & vita, breui morituri. Sunt & Animæ ſui Calores, natiui æque ac adſcititij; vtrique conſumentes. Quotidianas ipſius exinde iacturas damnaque; tum ex Carnis concupiſcentia aduerſus ſpiritum, ac eiferueſcentia paſſionum; tum ex frequenti languore lapſuque, colligere pronum eſt.. Vnde nobis Refectio? Vnde virum reſtauratio? Panis de Cælo, Caro Chriſti, etiam hic verè eſt cibus. Ad huius frequentationem à Chriſto manuducimur; Ab hac quotidianis iacturis reparatio, debilitatibus ac languoribus Medicina. Iurè merito à Veteribus, Infirmitatis quotidianæ remedium, appellata. Conſentiente Ambro-

brosio. Si quotiescunque, inquit, effunditur sanguis, in remissionem effunditur, debeo illum semper recipere, vt semper mihi peccata dimittantur; qui semper pecco, semper habere debeo Medicinam.

Quare is Cibus, iste Panis, non nutrimenti modo; sed & verè Medicinæ, à morbis & morte liberantis, partes agit. Nec mirum. Sistit enim nobis præsentem Diuinum Medicum, portantem, & sanantem omnia verbo virtutis suæ; dicit verbo, & sanatur Anima. Iam, quis infirmus Corpore, frequentem Medici accessum non exoptat? Et Fidelis, Corde & Spiritu frequenter languens, non desideret frequentem Christi præsentiam? qui in SS.

Eucharistia ad nos transit, benefaciendo & sanando omnes a languoribus suis. Serò sensit, ac etiam post lamentata est Bethania,
Matt. 21. Medici huius (quem alioqui sæpe apud se manentem habere consueuerat) absentiam. Qui si non abfuisset diutius, Lazarus in languorem lethalem non venisset, mortuus non fuisset! Et Christianus, quotidianis pressus aut vexatus languoribus; non accedet cum possit? non inferet se in conspectum ipsius cum affectuosi Cordis Nuntio: Ecce Domine quem amas infirmatur; veni, ingredere & sana Animam meam? Morbis ac periculis expositus est, qui se ab illo elongat. Timendum est, ne diu abstractus à Corpore Christi,

ſti; alienus remaneat à ſalute; inquit Hilarius. Et verò cum ſit Panis vitæ; ab illo multũ ieiunans, aut recedens, nonne recedit à vita! Procul eſſe vis à grauiori morbo mortiſque periculo? prout hæc frequentia occurrunt, ita frequenter accurre ad vitam. Hic eſt panis de Cælo deſcendens, vt ſi quis ex ipſo manducauerit non moriatur.

Panem hunc dum petendum à Patre Cæleſti, nobis præſcripſit Filius; putaſne Petitionem illam, Vnam ex ſeptem, fortuito poſitam eſſe inter ea, quæ à Deo nobis conferri poſcimus Quotidie!. Vel inde ſenſum Domini, ad frequentem SS. Sacramenti vſum nos inducentis, condiſcemus. Age enim. Reliquis Luc.11

illis omnibus quæ in oratione dominica nobis bona à Deo poſcimus, nonne quotidie vel certè frequenter in vita noſtra opus habemus? Ita certè. Idem igitur iudicium fuerit & de Pane ſuperſubſtantiali, à Patre Cæleſti inter alia orando. Et verò, vt præcedentia in oratione Dominica taceam. Debita nobis quotidie dimitti petimus: Quia frequenter labentes, remiſſione egemus. Quotidie medios inter hoſtes verſantes, quotidie tentationibus impetiti, quotidie præſeruatione egemus, eamque poſcimus. Malis demum expoſiti innumeris, ſemper ab ijs egemus & oramus liberari. Quotidiana lucta ſpiritus multum imminuti, ardoribus exhauſti, nouis ſimi-

ſimiliter in dies egemus viribus. Et non ſimiliter, frequenti ſaltem reficiemur Cibo?. Chriſtus petendum cenſuit Panem noſtrum Quotidianum; nobis, vt detur hodie: & quia petimus vt detur hodie ſeu Quotidie, deſideramus quoque correlatiuum ipſius, Accipere quotidie. Niſi forte illuſorie irreuerenterque petamus, vt detur nobis quotidie; quod quotidie accipere non velimus, nec parati ſimus accipere. O ergo ſi petis, vt petendum cenſuit Chriſtus; petes quotidianum, vt tibi detur quotidie. Si ſincere petis, vt detur quotidie; cum in Menſa Altaris quotidie paratus ſit ac expoſitus, cumque tam liberaliter inuitando Chriſtus alliciat dicens.

Accipite manducate; nonne frequenter ex Christi sensu accedendum, accipiendum concludes? Conclusit Ambrosius: *Si quotidianus est, inquit, Cur illum post annum accipis?. Accipe quotidie quod quotidie prosit.* Et quidem dicente Domino.

De Sacr. l.5.

§. IV.

Io.6. *QVi manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo.*

PROSIT ex Christi sensu vt verus Cibus, non solum ad vitam eamque abundantem, non solum ad languores & morbos depellendos; sed etiam ad vniendum te Christo, vnione in hac mortalitate maxima; qualis est alimenti ad alitum, in substan-

ſtantiam tranſeuntis. Vnione ſimul à Chriſto tantùm deſiderata; vt propter eam, deſiderio deſiderauerit hoc Paſcha manducare cum Diſcipulis; (hoc eſt Chryſoſtomo teſte) myſteria tradere, vt & ipſe in illis, & illi manerent in ipſo. Qui manducat meam Carnem in me manet, & ego in illo: *Hos ſibi iungit, inquit Auguſtinus, ac in ſe quodammodo tranſmutat Diuinæque Naturæ conſortes facit*. Ex vero *communicatio Deifica a ac deificatio humanitatis noſtræ*. b

7. Cōf. l 10. Cyril. Hier. Cath. 4. a D. ō de Eccl. Hier. c. 3. b Nyſſen. in Cath. c. 38. 1. Cor 11.

Prosit ad vnionem Eccleſiæ ac fidelium inter ſe. *Vnus Panis vnum Corpus multi ſumus* ait Apoſtolus. Vnionem tantopere exoptatam à Chriſto; vt eam cum dilectione inuicem, & præ-

ceperit,& à Patre, Fidelibus suis dari ardenter postulauerit, vt sicut nos inquit vnum sumus, ita & illi vnum sint. Vnioni huic, tot inter morum diuersitates continuandæ seruandæque, non aliud aptius quam à frequẽtatione Diuini Panis remedium. Qui cum sit symbolum practicum Vnionis, quam significat; eam & efficiet in nobis: vt tanquam vnius corporis membra (inquit Trident.) in arctissima Fidei, Spei, & Charitatis connexione adstricti, id ipsum omnes dicamus,& non sint inter nos schismata. *Per hunc Panem, facit Deus vnius modi habitare in domo;* inquit Augustinus.

Tr.27 in Io. c.6.

PROSIT ad eam, quæ in hac mortalitate à nobis habe-

beri poteſt Beatitudinem; ortam ex dulci & amoroſa cũ Chriſto in domo noſtra conuerſatione, ac conſuetudine continuata. Quam dum nobis liberaliter impertiri dignatur, dum non per Gratiam modo, ſed & per realem ſui præſentiam nobis offert, expetit, emendicat; frequenter ad oſtium noſtrum ſtans, & pulſans: Aperi mihi. Præbe mihi Cor tuum. Deliciæ meæ Cant. eſſe cum filijs,&c. Quis erit 5. ita ſui pene oblitus ac im- Prou. memor? ita durus ac inur- 23. 6. banus? vt hoſpitium corporis & animæ ingredi ac frequentare volentem, repellat, de die in diem differat, penitus excludat. Et non potius, cum deſiderio expectet, cum promptitudine aperiat, cum exultatione

recipiat ac introducat, vberem hoſpitis ſui mercedem habiturus illam: *Quotquot*
Io. 1. *eum receperunt, dedit eis poteſtatem Filios Dei fieri*. Diuerſorium noſtrum non ingredietur diues in omnia Dominus; quin toties eximia gratiarum munera hoſpiti ſuo relinquat, partim pro Communionis officio; partim, vt habitaculum ſibi pro tenuitate in præſens paratum, dignius pro vlteriori exornet. Qui ſe ipſum toties dat, quomodo non toties omnia ſecum nobis donet?. Audiemus toties Zacchæi eum recipientes: Hodie huic domui ſa-
Luc. 19 lus à Deo facta eſt. Sicut enim indigna ſuſceptio Sacramenti, ſemper, ac toties quoties noxia; ita congrua, quantumuis crebra ſumptio, ſem-

ſemper ſalutaris, fructuoſa, ac viuifica.

Non enim Diuina hæc alimonia, aliorum more Ciborum, multo ac frequenti vſu, indigeſtionem patitur aut facit: Quia nec actiuitatem aliunde petit; ſed de ſe inuenit, qua & ipſum manducantem in ſe conuertat: *Non tu me mutabis in te, ſed tu mutaberis in me*, inquit Auguſtini ore Chriſtus, cuius virtus nunquam languet, nec deficit. *De coquor cum immutor, digeror cum transformor, vnior cum informor*, actiuitatem huius cibi in ſe expertus. edicit Bernardus.

7. Cōſ. c. 4.

Ser. 71 in Cāt

Sed nec faſtidium parit, aut ſatietatem frequentatus. Immo quo crebrius ſumitur, eo ardentius expetitur; ipſoque illo, Animæ vita vt

fit robustior, ita gustus, frequentatione ipsius redditur suauior. Norunt experti, deuotè frequentantes, quam verum fit illud: Qui bibunt me adhuc sitient, qui edunt adhuc esurient. Vt experiamur & nos: Agite, venite, accipite, gustate, quam bonus quam suauis sit Dominus, his qui recto sunt corde. Quam bonum sit iugiter adhærere Deo! Videbitis, quàm & frequentata Caro Christi, sit ac fiat omnibus, salutare Dei.

Eccl. 24.

CAP.

CAP. II.

Frequens SS. Euchariſtiæ vſus, ſanctus ac ſalubris. ex ſenſu ECCLESIAE.

SI tantò quis remotior, ab errandi labendique periculo; quanto propius ad communem Eccleſiæ (quæ columna ac firmamentum eſt veritatis), ſenſum accedit: Frequentem Sacroſanctæ Euchariſtiæ vſum, non è vero magis quam ſecuro, ſanctum ac ſaluberrimum, edicemus ſimul ac amplectemur.

Age verò: anteactam ſæculorum reuoluamus orbitam; atq; à primis ad vltimũ, ſeriatim ac ordine deſcendamus.

Pri-

§. I.

Prima quinque Æræ Christianæ sæcula.

De Primitiua Apostolorũ temporibus Ecclesia, quonã sensu acceperit, tenueritque illud Christi: *Accipite, manducate. Hoc facite, &c.*
Act. 2 Praxi, vsuque suo clare contestata est. De quo Act. 2. *Erant autem perseuerantes in Doctrina Apostolorum, & communicatione & fractione panis, & orationibus.* Perseuerantia in fractione panis (per quem ex Patrum sententia Eucharistiæ vsus hoc loco designatur) continuam, stabilemque fractionem innuit. Sed &
1. Cor. 11. 1. Ccr. 11. Frequenter conuenientes in vnum cum laudasset Apostolus: *Laudo vos inquit.* Modum, quod sci-

ſcilicet non probando ſe ipſos, non dijudicando inter Corpus Domini & panem ſimplicem, inconſultè accederent, reprehendit; *in hoc vos non laudo*. Simul tamen, frequentem cum præuia Probationis ſui præparatione communionem commendans: *Quotieſcumque inquit manducabitis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat*. Cum memoria mortis Domini, frequentem Vſum indicans.

Quem inter Fideles continuaſſe; teſtes adſunt luculenti.

Dionyſius Areop. Is lib. de Eccleſ. Hierar. *Sumpta inquit, atq; demum Omnibus tradita Communione Diuina, Pontifex myſterijs finem imponit*. Myſteria autem fre- Vixit An. 71 c. 3. p. 2

quen-

quenter celebrata clarum est: proinde & frequenter traditam omnibus Communionem. S. Ignatius Martyr Epistola ad Ephesios: *Festinate inquit ergo Frequenter ad Eucharistiam & gloriam Dei accedere: quando enim hoc ipsum assiduè agitur, expelluntur potestates Sathanæ; qui actus suos conuertit in sagittas ignitas ad peccatum.*

Vixit An. 71. ad 100 fere pertingens.

Quo autem feruore, ac frequentia cæpta est Communio; eadem fere prehensa à Fidelibus sequentis sæculi: Apposita etiam, pro tam Sanctæ Consuetudinis firmamento, Ecclesiæ interminatione, ac Edicto. vt patet ex Epistola 2. Anacleti Pap. in qua distincte edicitur: Vt secundum Apostolicas Sáctiones, Omnes

Vixit Ann. 103.

nes qui Sacrificio Missæ intereſſent , Euchariſtiæ participes fierent . Clara ſunt verba quæ leguntur De Conſecr. diſt. 2. cap. Epiſcopus . *Peracta inquit Conſecratione, Omnes cõmunicent, qui noluerint Eccleſiaſticis carere liminibus : ſic enim & Apoſtoli ſtatuerunt , & Sancta Romana tenet Eccleſia* . Quod Edictum, ea Sanctitate obſeruatum eſt ac feruore : vt teſte Iuſtino M. in fine Apolog. 2. Sacris peractis , Euchariſtia per Diaconos ad Fratres abſentes , qui per impedimenta celebrationi ſacrorum adeſſe non poterant , deferri conſueuiſſet . *Conſecrata inquit diſtribuuntur ſingulis , & abſentibus mittuntur per Diaconos* . Vixit 150.

Et haud dubie , in viridi ob-

obseruantia fuerit, etiam à proximis abinde sæculis: vt vix operæ pretium fuerit decurrere singula. Nisi & proximi Tertij sæculi sensum, expressis accipere malimus, ex S. Carthaginensi Antistite Cypriano: *Hunc*
Vixit 220. Ser. in or. Dõ *inquit Panem dari nobis quotidie postulamus, ne qui in Christo sumus, & Eucharistiam Quotidie ad cibum salutis accipimus; intercedente aliquo grauiori delicto, dum abstenti & non communicantes, à cælesti pane prohibemur, à Christi Corpore separemur. dicente ipso & monente: Ego sum panis vitæ, qui de Cælo descendi, si quis ederit de hoc pane, viuet in æternum. Quando ergo dicit in æternum viuere si quis ederit de pane, vt manifestum est eos viuere, qui Corpus eius*

at-

attingunt, & Eucharistiam vitæ Communionis accipiunt; ita in contra timendum est, & orandum, ne dum quis abstentus separatur à Christi corpore, procul remaneat à salute, comminante ipso & dicente: Nisi ederitis carnem filij hominis & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Et ideo Panem nostrum, idest Christum dari nobis Quotidie petimus; vt qui in Christo manemus, & viuimus, à sanctificatione & Corpore eius non recedamus.

Hoc eodem sensu spirasse ac vixisse Ecclesiam quarti sæculi, palam est ex clarissimis illorum temporum Ecclesiæ Luminibus. Hilario *a* Ambrosio, in Occidente. In Oriente Basilio. Quorum Primus vt legi- a Vixit 355.

gi-

gitur de Confecr.dist.1. Solos Excommunicatos à frequentatione huius Mysterij exclusos innuit. *Si non sunt inquit tanta peccata, vt excommunicetur quis; non se debet à Medicina Corporis & Sanguinis Domini separare*. Intellige à Medicina frequentata. Subdit enim causam propter quã. *Timendum est, ne diu abstentus à Corpore Christi, alienus remaneat à salute. Qui peccare quieuerit, communicare non desistat.*

Vixit 374. Ambrosij testimonia, plura sunt, quam vt huc iñ arctum redigantur: sufficiat

De Sacr.l 5. c. 4. illud: *Dixi vobis inquit, quod ante verba Christi, id quod offertur, panis dicatur; vbi Christi verba deprompta fuerint, iam nõ Panis dicitur, sed Christi Corpus appellatur.*

tur. Quare ergo in Oratione Dominica quæ postea sequitur, ait Panem nostrum. Panem quidem dixit super-substantialem. Non iste Panis est qui vadit in Corpus; sed ille panis vitæ æternæ, qui Animæ nostræ substantiam fulcit. Latinus hunc Panem Quotidianum dixit, quem Græci dicunt Aduenientem. Si Quotidianus est Panis, cur post annum illũ sumis? quemadmodũ Græci in Oriente facere consueuerunt. Moré Latinum exprimendo adijcit: *Accipe Quotidie quod Quotidie tibi prosit. Sic viue, vt merearis quotidie accipere. Qui nõ meretur quotidie accipere nõ meretur post annũ recipere. Quomodo Iob sãctus, pro filijs suis offerebat quotidie sacrificiũ; ne forte aliquid in corde vel in sermone pec-*

cas-

cassent. Et tu audis, quod quotiescunque offertur sacrificium; Mors Domini, Resurrectio Domini, eleuatio Domini significetur, & remissio peccatorum. Et panem istum vitæ non Quotidianum assumis?. Qui vulnus habet, Medicinam requirit; Vulnus est quia sub peccato sumus: Medicina est, cæleste & venerabile Sacramentum. Panem nostrum Quotidianum da nobis hodie. Quotidie si accipis, Quotidie tibi hodie est. Si tibi hodie est Christus, tibi quotidie resurgit, &c.

Etsi autem in Oriente (vt meminit Ambrosius) in plerisque, sicut fides ac pietas; ita & desiderium Eucharistiæ intepuerat. Nihilominus etiam inter frigidos illos, qui semel nonnisi in annum Communicabant; fer-

feruentioris paulò ac ſanctioris vitæ Fideles, Menſam Domini ſæpe frequentabant, æmulantes chariſmata meliora Occidentalis Eccleſiæ. Clarum eſt teſtimonium Baſilij: *Singulis, (inquit ille) diebus communicare, & participare ſancti Gorporis, & Sãguinis Chriſti, Bonum eſt fructuoſum eſt, cum ipſe dixerit perſpicuis verbis: Qui comederit carnem meam, & biberit ſanguinem meum, vitam habet æternam. Iam verò quis dubitat, quin vitæ Frequentius participare, non ſit aliud omnino, quam frequenter viuere. Quater igitur nos ſingulis ſeptimanis Communicamus; Dominica die, feria quarta, in Paraſceue, & Sabbato. ſed & per dies etiam alios, ſi Martyris alicuius memoria*

Epiſt. 289. ad Cæſar Patr. Vixit 370.

celebretur. De Alexandria & Ægypto ibidem diserte addit. Vnumqũemque etiam de Plebe, vt plurimum domi suæ seruasse Communionem; eo fine; vt quotidie de illa sumeret. Sic Oriens, sic Occidens, in frequentanda sacra Communione, inter feruidos magis ac deuotos, æuo illo fuit consentiens.

Sensus quoque ac Praxis Quinti sæculi, Primorũ Ecclesiæ Doctorum claro stabilita Testimonio. Omni exceptione maiores, Hieronymus, Augustinus, Chrysostomus. Quid autem hi, de frequenti vsu SS. Sacramenti?

Fac audiamus Hieronymum: *Scio inquit Romæ hanc esse consuetudinem, vt Fideles semper Christi Cor-*

pus

pus accipiant; quod nec reprehendo, nec probo. Vnusquisque enim in suo sensu abundet. Sed ipsorum conscientiam conuenio, qui eodem die post coitum communicant; & iuxta Persium, noctem flumine purgant. Quare ad Martyres ire non audent? quare non ingrediuntur Ecclesias? an alius in publico, alius in domo Christus est? Quod in Ecclesia non licet, nec domi licet. Nihil Deo clausum est, & tenebræ quoque lucent apud eum. Probet se vnusquisque, & sic ad Corpus Christi accedat: Non quod dilatæ Communionis vnus dies, aut biduum, sanctiorem efficiat Christianum; vt quod hodie non merui, cras vel perendie merear: sed quod, dum doleo me non communicasse Cor-

Vixit adhuc Ann. 420. Apol. pro lib. cōtra Iouin.

 po-

pori Christi, abstineã me paulisper ab vxoris amplexu; vt amori coniugis, amorem Christi præferam.

Epist. 28. Clarius pene, ad Lucinium: *De Sabbato inquit quod quæris; Vtrum ieiunandum sit? Et de Eucharistia. An accipienda quotidie? Quod Romanæ Ecclesiæ, & Hispaniæ obseruare perhibentur. scripsit quidem Hyppolitus vir disertissimus, & carptim diuersi Scriptores è varijs Auctoribus edidere. Sed ego te breuiter illud admonendum puto: Traditiones Ecclesiasticas, præsertim quæ fidei non officiant ita obseruandas, vt à Maioribus traditæ sunt; Nec aliorum consuetudinem, aliorum contrario more subuerti. Atque vtinam omni tempore ieiunare possemus? &c. Euchari-*

ri-

ristiam quoque absque condemnatione nostri, & pungente conscientia, semper accipere! & Psalmistam audire dicentem: Gustate & videte quam suauis est Dominus. Nec hoc dico, quod Dominicis diebus ieiunandum putem, &c. Sed vnaquæque Prouincia abundet in suo sensu; & præcepta Maiorum, leges Apostolicas arbitretur. Ex quibus patet, & Praxis Ecclesiæ, potissimum Occidentalis; & sensus Doctoris. Qui, etiamsi Incontinentibus eo die Communionem vetare videatur: Laudabilem tamen illum S. Romanæ Ecclesiæ, Quotidie Communicandi vsum, ita non reprehendit in ijs, qui probati accedunt; vt eundem suo suffragio probatum eat; Quia opta- Ps 33.

bilem. Vtinam inquit omni tempore, vtinam ſemper Euchariſtiam accipere poſſemus! Deſiderium Hieronymi pium ac ſanctum fuiſſe quis dubitet? igitur & obiectum ſeu rem deſideratam. Maximè, cum id ſine damnatione, & pungente conſcientia, frequenter à pleriſque fieri potuiſſe non negauerit. Immo praxi ſua, frequentantibus

In Ep. ad Gal 4. præiuerit. *Itaque nobis (inquit) licet, vel ieiunare ſemper, vel ſemper orare; & diem Dominicam accepto Domini Corpore, indeſinenter celebrare gaudentibus.*

Vixit 420. Mentem Auguſtini vel eo libentius accipies, quod (contra quam pleriſque perſuaſum ſit) Frequenti Euchariſtiæ Vſui ſuffragetur. Verbis Magiſtri ſui in fide

Am-

Ambrosij, sensum suum loquitur: *Si Quotidianus inquit, est Panis; cur post annum illum sumis? Accipe quotidie, quod quotidie tibi prosit. Sic viue vt merearis quotidie accipere, qui non meretur quotidie accipere, non meretur post annum accipere.* Et alibi. *Intelligitur hoc etiam valdè bene: Panem nostrum Quotidianum da nobis hodie, Eucharistiam tuam, Quotidianum cibum. Norunt enim Fideles quid accipiant, & quam bonum est eis accipere Panem Quotidianum, huic tempori necessarium. Pro se rogant, vt bona faciant, vt in bonitate & fide, & bona vita perseuerent. Hoc orant, hoc optant: quia qui non perseuerant in bona vita, separabuntur ab illo pane. Ergo Panem*

Ser. 28 de Ver Dō to in appen. 5.

50. Hom. ho 41.

nostrum Quotidianum da nobis hodie, quid est? Sic viuamus, vt ab Altari tuo non separemur.

Praxim autem Ecclesiæ, Augustini temporibus fuisse eam, vt plerique Fideles etiam Quotidie communicarēt; arguere licet ex eiusdem Epistola ad Ianuarium. Quam hic pluribus referre placuit: eò quod ex proposito super Frequentem Communionem scripta; & vsum Aliorum, & sensum Augustini plenius explicet: sic igitur ille: *Quæ per loca terrarum regionesque variantur, sicut & quod alij ieiunant Sabbato, alij vero non. Alij quotidie communicant Corpori, & Sanguini dominico; alij certis diebus accipiunt. Alibi nullus dies intermittitur quo*

Epist. 118.

non

non offeratur, alibi Sabbato tantum & Dominico, alibi tantum Dominico, & si quid aliud huiusmodi animaduerti potest. Totum hoc genus rerum, Liberas habet obseruationes. Nec disciplina vlla in his est melior graui prudentique Christiano, quam vt eo modo agat, quo agere videtur Ecclesia, ad quamcunque forte deuenerit. Quod enim neque contra fidem, neque contra bonos mores conuincitur, indifferenter est habendum; & pro eorum, inter quos viuitur Societate, seruandum, &c. Sensi enim sæpe dolens & gemens; multas infirmorum perturbationes fieri, per quorundam Fratrum contentiosam obstinationem, vel superstitiosam timiditatem: qui in rebus huiusmodi, quæ nec scripturæ

sanctæ auctoritate, neque vniuersalis Ecclesiæ Traditione, neque vitæ corrigendæ vtilitate ad certum terminum possunt peruenire (tantum quia subest qualiscunque ratiocinatio cogitantis, aut quia in sua Patria sic ipse consueuit, aut quia ibi vidit, vbi peregrinationem suam quo remotiorem à suis, eo doctiorem putat) tam litigiosas excitant quæstiones. Vt nisi quod ipsi faciunt, nihil rectum existiment. Dixerit aliquis, non Quotidie accipiendam Eucharistiam. Quæsieris quare? Quoniam inquit eligendi sunt dies, quibus purius homo continentiusque viuat, quoad tantum Sacramentũ dignius accedat. Qui enim manducauerit indigne, iudicium sibi manducat & bibit. Alius contra, Immo in-

1. Cor. 11.

inquit si tanta est plaga peccati atque impetus, vt medicamenta talia differenda sint, auctoritate Antistitis debet quisque ab Altario remoueri ad agendam pœnitentiam, & eadem auctoritate reconciliari. Hoc est enim indigne accipere, si eo tempore accipias, quo deberes agere pœnitentiam; non vt arbitrio suo cum libet, vel auferat se Communioni, vel reddat. Cæterum si peccata tanta non sint, vt excomunicandus quibusdam homo iudicetur; non se debet à Quotidiana Medicina dominici Corporis separare.

Rectius inter eos fortasse quispiam dirimit litem, qui monet; vt præcipue in Christi pace permaneant. Faciat autem vnusquisque, quod secundum fidem suam pie cre-

dit faciendum. Neuter enim eorum exhonorat Corpus & Sanguinem Domini; si saluberrimum Sacramentum certatim honorare contendunt. Neque enim litigarunt inter
Luc.19 se, aut quisquam se alteri præ-
Mat.8. posuit, Zacchæus & ille Centurio: Cum alter eorum gaudens in domum suam suscepit Dominum; alter dixerit: Non sum dignus, vt intres sub tectum meum. Ambo Saluatorem honorificantes, diuerso, & quasi contrario modo: ambo peccatis miseri, ambo misericordiam consecuti. Valet etiam ad hanc similitudinem; quod in primo Populo, vnicuique Manna secundum propriam voluntatem, in ore sapiebat. Sic in ore cuiusque Christiani Sacramentum illud, quomodo sumatur, æstimandum. Nam
&

& ille honorando, non audet quotidie sumere; & ille honorando, non audet vllo die præterire. Contemptum solum non vult cibus ille; sicut Manna fastidium. Inde enim & Apostolus indigne dicit acceptum ab eis, qui hoc non discernebant à cæteris Cibis, veneratione singulariter debita.

Constat ex his: Augustini temporibus, Quotidianum vsum SS. Sacramenti inter Fideles viguisse, ac inde enatam difficultatem, Augustino propositam. Ad quam (vt patuit) ita respondet; vt præciso Contemptu, sine omni nota in libertate cuiusque relinquat, Communicare Quotidie, vel aliquibus diebus abstinere; prout quisque secundum fidem suam Pie credit faciendum. Item Tr. 26 in Io. c. 6.

Per-

Permitti autem vix poteſt aliquid, tanquam piè faciendum; niſi pie ac laudabiliter fieri poſſe iudicetur. Piè igitur ac laudabiliter, Quotidie Communicari poſſe, cenſuit Auguſtinus. Immo ſuaſit Euchariſtiam vt Cibum quotidianum; præpondiumque ſenſus ſui, in Frequentem Vſum ipſius, ſatis aperuit citatis primo verbis, ac citandis aliàs.

Vt vel exinde conijcias; ſententiam illam, quæ ſub nomine Auguſtini citari ſolet docentis: *Quotidie Euchariſtiæ communionem percipere, nec laudo nec reprehendo. Omnibus tamen diebus dominicis communicandum ſuadeo & hortor; ſi tamen mens ſine affectu peccandi ſit: nam habentem adhuc voluntatem peccandi gra-*

De Eccl dog c. 53.

grauari magis dico Euchariſtiæ perceptione, quam purificari. Hanc ipſam inquam ſententiam, vel non eſſe Auguſtini, ſed Alcuini (vt grauiſſimi alioqui cenſuere Scriptores.) Vel illud: *Nec laudo nec reprehendo*, explicandum; vt ſit idem: Quod permitti cuique liberum vt faciat; quod ſecundum fidem ſuam pie credit faciendum. Vel demum. Vt vt de Quotidiano vſu Euchariſtiæ ſonet illud: *Nec laudo nec reprehendo*. Frequentem nihilominus, quia ſingulis Dominicis Communionem, vt ſanctam ac laudabilem, plurimum ab eo commendatam.

Apud Bellar de Scrip. Eccleſ ad an. 420.

Nec Auguſtinus igitur, nec vllus SS. PP. Doctorum Eccleſiæ, Frequentationem reprobauerit. His

proinde Omnibus maior sit oportet, qui quod permittunt, non reprehendunt illi; ipse de suo sensu prohibere, reprehendere præsumit; accensendus illis (de quibus supra Augustinus): *Qui nihil rectum existimant, nisi quod ipsi faciunt*. Hæc pro sensu ac Praxi Occidentalis Ecclesiæ.

Orientalis mentem huius sæculi si requiras? Non aliã fuisse intelliges, quam quod frequentem Communionẽ, vt sanctam ac salutarem censuerit. Quidquid interim Praxis Tepidorum remissior obtinuerit. Contra quem intonans Chrysostomus: *Nunc autem (inquit) multi Christianorum, in tantam vecordiam tantumque venere contemptum; vt cum innumeris scateant malis nul-*

Vixit 497. Orat. de B. Philog ante finem To. 3.

nul-

nullam tamen vitæ ſuæ curam habeant; ſed in diebus Feſtis negligenter ac temere ad Menſam Domini accedant. Non intelligentes, quod Communionis Tempus non eſt Feſtum, nec Celebritas; Sed conſcientia pura, vitaque à peccatis purgata. Quemadmodum enim, qui ſibi nullius mali eſt conſcius, hunc Oportet ſingulis diebus accedere: Sic qui peccatis occupatus eſt, neque pænitet; ei nec in Feſtis accedere tutum eſt. Atque ad Quotidianum vſum exhortans: *In alijs quidem temporibus cum Puri frequenter ſitis, non acceditis; in Paſcha vero, licet ſit aliquid à vobis patratum, acceditis. O conſuetudinem, ò præſumptionem! Sacrificium fruſtra quotidianum? in caſſum aſſiſtimus Altari? Nul-* Hō.61 ad Pop.

lus

lus qui communicetur? Hæc, non ut temere communicemini dico, sed ut vos dignos reddatis. Non es hostia dignus vel communione; igitur nec Oratione. Adstantem audis Præconem atque dicentem: Quotquot estis in pænitentia, omnes orate. Quicunque non participes fiunt, in pænitentia sunt. Quid stas si es in pænitentia? Sumere non debes. qui namque non communicat, est ex pænitentibus. Cur itaque dicit: Abite qui non potestis orare? Tu vero stas impudens. At ex his non es, sed ex his qui possunt esse participes; & nihil curas? aut magnum opus censes? Considera quæso, mensa Regalis est apposita, Angeli Mensæ ministrantes, ipse Rex adest, & tu stas oscitans? Sordescunt tibi vesti-

stimenta, & nihil est tibi curæ? At pura sunt; Igitur adora & communica. Indignus sum inquis. Igitur & illa, quæ per preces fit, communione.

Festis igitur diebus communicabant Orientales. Frequentius vt idipsum agerent; en quam comiter stimulat os Aureum: *Incassum assistimus Altari? Sacrificium frustra Quotidianum? Nullus qui communicetur?* Dulciter queritur ac optat, vt quoties puri adsunt, toties communicent.

§. II.

Media quinque Æræ Christianæ sæcula.

CVm Hieronymi ac Augustini supra testimonio, Ecclesiæ Romanæ sancta ac laudabilis consuetudo tulerit; vt Fideles communicarent quotidie, vel frequenter. Eandem à suo feruore aut sensu, circa Frequentationem huius mysterij, non desciuisse posteriori sæculo, certum sit. Accedente potissimum oraculo Gregorij Magni, qui è sexto, ad sæculum septimum pertingens: *Prouidens inquit Dominus, dedit nobis hoc Sacramentum salutis, vt quia quotidie peccamus. & ille iam mori non*

Obijt 604.

Habetur de Cõsec. dist. 2. cap. Quid sit Sãguis.

non

non poteſt; per illud Sacramentum, peccatorum remiſſionem conſequamur. Quotidie enim comeditur & bibitur in veritate, ſed integer & viuus atque immaculatus manet.

Octaui ſenſum pronum eſt conijcere ex Vener. Beda. Qui in ſimili (quo Auguſtini tempore) Fidelium æui ſui, ſuper Quotidiana Communione diſceptatione, totum Auguſtini reaſſumens conſilium; eiuſdem Epiſtolæ 118. verbis, litem componit ac moderatur. Frequentiæque fauens: *Videte inquit Fratres. Quia ſi ſeparemini qui Fideles eſtis à Corpore Domini, timendum eſt; ne fame moriamini. Si autem accipiatis indigne & bibatis indigne, metuendum eſt; ne iudicium*

Vixit 731. In Ep. 1. ad Cor. 11

man-

manducetis & bibatis. Angustiæ vobis magnæ vndique. Bene viuite & dilatabuntur angustiæ. & non potestis bene viuere nisi ille adiuuerit, nisi ille dederit, nisi ille donauerit. Inde orate, Manducate. Orate, & ab his angustijs liberabimini. Implebit enim vos, & in bene agendo, & in bene viuendo. Ad eandem accendit Damascenus. *Ardenti inquit cupiditate ad eum adeamus; manibusque in formam Crucis compositis, Crucifixi Corpus suscipiamus; atque oculis ac labijs & frontibus impositis, Diuini carbonis participes efficiamur. Vt ignis desiderij in nobis insiti, assumpta ea quæ ex carbone oritur inflammatione, peccata nostra exurat, ac pectora nostra collustret; demusque operam, vt*

Vixit 741. Ortho Fid. l. 4 c 14.

vt per diuini ignis perceptionem inardeſcamus, Dijque efficiamur. Corpus & Sanguis Chriſti eſt, ad animæ & corporis noſtri incolumitatem tendens, quod nec conſumitur nec corrumpitur; verum ad noſtram ſubſtantiam & conſeruationem tendit, atq; omne incommodum propulſat; eamque vim habet, vt omnem ſpurcitiam abſtergat, omnes morbos immiſſaſque calamitates purget. Quæ illicia ad frequenter accedendum; Corporis & Animæ incolumitas, &c.

Nonum ſæculum quid cenſuerit? edicit Haymo. Petitionem illam á Chriſto præſcriptam: Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie; ex ſenſu & mente Patrum priorum ſæculorum, de Quotidiano vſu Vixit 850.

Eu-

Euchariſtiæ aſſumens: *Hoc oramus, ait, vt quia ſine peccato eſſe non poſſumus, ſic nobis vitam præſentem tribuat ſine crimine tranſire; vt ab Euchariſtiæ perceptione non ſeparemur.* Crimen, graue delictum intelligens; quo ſine, Menſæ Euchariſticæ vnitos aſſiduoſque, nec ab ea multum remotos ſeparatoſque ſui ſæculi Fideles innuit; aut non remouendos, nec ſeparandos cenſuit. Luculentius idipſum Remigius Antiſiodorenſis: *Sunt tales inquit qui non poſſunt quotidie communicare, aliqua diſcordia contra proximum commaculati. E contra ſunt tales, qui Quotidie poſſunt communicare. Illis conuenit quod dominus dixit Zacchæo: Hodie in domo tua oportet me manere:*

Ser de Orat. Dom.

Vixit 890. De celebr. Miſs.



& quod suscepit eum gaudens in domum suam. Quia illi tales, cum gaudio debent Corpus & Sanguinem Domini sumere. Illi vero qui Quotidie communicare non possunt, dicere cum Centurione: Domine non sum dignus. Suffragatur Paschasius Abbas: *Ecce Omnes inquit indifferenter, quàm sæpe Sacramenta Altaris percipimus.* Et infra. *Idem Panis Christus, qui de Cælo descendit, in hoc Mysterio accipitur; sicut & Caro, quæ in Cruce pependit; Cum integer deinceps Christus perseueret, licet ab Omnibus Quotidie edatur.*

Vixit 820. De Corp. & Sāg Dom. cap. 6. & 10.

Nec degeneres certè sæculi Millesimi Fideles. Quotidianos & ipsi Animi languores, Pane hoc viuifico depellebant. De qui-

Vixit 950. bus. Stephanus Eduensis Episc. *Cum mens inquit tædio acediæ languescens, ab interiorum amore bonorum retrahitur; animus in torporis lecto iacet languidior. Qui Pane spirituali, id est Corpore Christi, est reficiendus.* De Sacr. Altar. *Vnde spiritu fortitudinis oportet animum à torpore excitari, & operibus iustitiæ inhiare: ne aliquando graui delicto intercedente, abstineamus ab illo Pane, de quo Apostolus ait: Probet se vnusquisque, & sic de Pane illo edat. Vnde precamur dari nobis Panem Quotidianum.* Frequentem vsum fuisse Corporis Dominici, quis negauerit? vbi, Ne vel Aliquando abstineretur, tam solicitè præcauebatur. Sed iam videamus.

§. III.

Reliqua Æræ Christianæ sæcula.

MIllenarius ab Institutione prima, primoque feruore Christianorum lapsus; collabente pariter ac refrigescente in multis Charitate. Hinc Perfectio, vitæque Sanctitas, olim communis Omnibus, ad pauciores (vt fit) redacta; vsum quoque SS. Sacramenti Frequentiorem, ad Paucos remisit. Praxis proinde illa, passim ab omnibus Quotidie, vel minimum Frequenter Communicandi, imminuta. Sensus tamen idem ac constans Ecclesiæ fuit is: vt Frequentem SS. Sacramenti vsum, ceu sanctum

ac maxime salutarem, Fidelibus semper ingesserit, instillarit, etiã reliquis hisce, qui sequuntur, sæculis.

Vndecimum proinde quid censuerit? Pontificio discamus oraculo. Fac audiamus Gregorium VII. Pontificem. Ad Matildem sic ait: *Inter cætera quæ contra Principem Mundi arma Deo fauente contuli, quod potissimum est; vt Corpus Dominicum Frequenter accipias indicaui: & certæ fiduciæ Matris Domini, te omnino committere præcepi.*

Vixit 1050. Ep. 31 lib: 11. Reg.

Quod quidem, ad Timoratos ac Religiosos Viros æui sui, restringit Bernardus dum ait: *Cibus vitæ est, qui de cælo descendit. Potesne æstimare quale vel quantum est hoc Sanctum Sanctorum, & Sacramentum Sacramento-*

Vixit 1130. Ser. de Cœna Dom.

torum, amor amorum, dulcedo omnium dulcedinum? Hæc ſunt vere feſta Paſchalia, hæc ſunt gaudia & fercula vitalia Iuſtorum, hæ ſunt ſpirituales Deliciæ iuſtorum & Sanctorum. Hic bibuntur in loco vberi torrentes lactis, flumina mellis, liquores balſami cæleſtis. Amici ſponſi, id eſt boni Epiſcopi, boni Abbates, & cæteri Timorati, ac Religioſi viri guſtauerunt, & pleniſſime experti ſunt, quod nos diximus: ideoque ad Menſam Altaris Frequentius accedunt. Cæterum è ſenſu Sanctorum æui ſui loquitur; dum Omnibus idem faciendum ſuadet inquiens: *Qui vulnus habet, Medicinam quærat; vulnus habemus dum ſub peccato ſumus, Medicina eſt SS. Sacramentum. Quotidie acci-*

pe *Quotidie curaberis.*

Rediuiuos ea in parte, Tertium decimum sęculum Ausspectauit Hieronymos, Augustinos. D. Thomam loquor, Bonauenturam, ac plerosque Magni Nominis alios: Rediuiuum quoque, de vsu Sanctissimi Sacramenti, accepit cum sensu Spiritum. Audiamus Doctorem Angelicum: *Circa*

Vixit 1274. *vsum inquit huius Sacramenti duo possunt Considerari. Vnum quidem ex parte ipsius Sacramenti, cuius virtus est hominibus salutaris. & ideo vtile est Quotidie ipsum sumere; vt homo Quotidie eius fructum percipiat. Alio modo potest considerari, ex parte sumentis. In quo requiritur, vt cum magna deuotione & reuerentia, ad hoc Sacramentum accedat.*

3. p. q. 80. a. 1.

Et

Et ideo, si aliquis se quotidie ad hoc paratum inueniat, laudabile est, quod quotidie sumat. Vnde Augustinus cum dixisset: Accipe quod Quotidie tibi prosit. Subiungit: Sic viue, vt quotidie merearis accipere. Sed quia multoties in pluribus hominum, multa impedimenta huius deuotionis occurrunt, propter Corporis indispositionem vel animæ; non est vtile Omnibus hominibus quotidie adhoc Sacramentum accedere. Sed Quotiescunque se ad illud homo inuenit præparatum. Præparationem adnectit: cum ait. Ser. 28 de Ver Dom.

Dicendum, quod in hoc Sacramento duo requiruntur ex parte recipientis; scilicet desiderium coniunctionis ad Christum, quod facit Amor; & Reuerentia Sacramenti, in 4. dist. 12 a. 1.

quæ ad donum Timoris pertinet. Primum autem incitat ad Frequentationem huius Sacramenti Quotidianam; sed secundum retrahit. Vnde si quis experimentaliter cognosceret, ex quotidiana sumptione, feruorem Amoris augeri, & reuerentiam non minui; talis deberet Quotidie communicare. Si autem sentiret, per Quotidianam frequentationē Reuerentiam minui, & feruorem non multum augeri; talis deberet interdum abstinere; vt cum maiori reuerentia & deuotione postmodum accederet. Vnde quantum adhoc, Vnusquisque relinquendus est iudicio suo. Et hoc est quod dicit Augustinus, Iterat locum Augustini ex Epist. 118. supra. Idem fere alio loco: *Reuerentia in-*

inquit huius Sacramenti habet timorem Amori coniunctum. Ex Amore prouocatur desiderium sumendi. Ex timore autem, consurgit humilitas reuerendi. Et ideo vtrumque pertinet ad reuerentiam huius Sacramenti; & quod Quotidie sumatur, & quod aliquando abstineatur. Amor tamen & Spes, ad quæ semper scriptura nos prouocat, præferantur Timori. Vnde & cum Petrus dixisset: Exi à me Domine **quia homo peccator sum. Respondit IESVS: Noli timere.** 3. p. q. 80 a. x ad 3.

Quid luculentius pro Frequentatione Sanctissimi Sacramenti dici potuit? quàm: Vtile esse ipsum Quotidie sumere, si fiat cum Reuerentia. Pertinere autem etiam ad ipsam Reuerentiam

rentiam, quod Quotidie sumatur. Licet autem requiratur & Timor per quē aliquando abstinetur; in hoc tamen puncto, potiores partes concedendæ Amori & Spei: adeoque declinandum potius ad Quotidianum vsum, quam abstinendum. Immo si quis experitur in se non minui Reuerentiam, & accendi Amorem; Talem debere Quotidie communicare. Immo, Quemcunque, quoties se inuenerit præparatum, toties licite posse accedere.

Frequentem verò communionem, quæ non sit Quotidiana; sine omni exceptione expedire; immo oportere fieri docet. Ad quæsitum enim: Vtrum homo debeat Frequētare hoc Sacramentum? responden-

in 4. dist. 12 a. 1.

do

do ait: *Dicendum, quod ea quæ in hoc Sacramento geruntur, habent similitudinem cum his quæ accidunt in Corporali Nutrimento. Quia enim fit quasi continua deperditio Naturalis humiditatis, per actionem caloris; ideo oportet frequentem corporalem cibum assumere, ad restaurationem deperditi: ne perditio continua mortem inducat. Similiter, ex concupiscentia innata, & occupatione circà exteriora, fit deperditio deuotionis & feruoris, secundum quæ homo in Deum colligitur. Vnde oportet, quod pluries deperdita restaurentur, ne homo totaliter alienetur à Deo. Statutum Ecclesiæ non licet præterire; tamen licet pluries communicare. Vnde Augustinus laudat, omnibus diebus domi-*

nicis communicandum esse. Hæc Doctor Angelicus.

Vixit 1265. In 4. dist.12 q. 2.

Seraphicum ne desideres. Consentientem accipe ac Concludentem. *Dicendum: Quod si quis semper esset paratus, semper vtile esset hoc Sacramentum recipere; vt scilicet haberet habitaculum Mundum, & spiritualiter comederet hunc cibum, cum honore & deuotione. Quia igitur tempore Ecclesiæ primitiuæ, erant Mundi per Baptismi innocentiam, & charitate ardentes, per donationem Spiritus Sancti; ideo congruebat illis Quotidie Communicare. Quia verò postmodum charitas refrixit; & per peccata, Munditia Baptismalis vt in pluribus perdita fuit; relictum fuit iudicio & conscientiæ vniuscuiusque, vt reciperet quan-*

quando se dispositum videret: ne aliter manducaret ad suam damnationem. Et quia homines inceperunt fieri negligentes; oportuit, vt iterum institueretur à Summo Pontifice frequentatio, &c, Si ergo quæratur: Vtrum expediat Frequentare alicui? Dicendum: quod si se videat esse in statu primitiuæ Ecclesiæ; laudandum est Quotidie communicare. Si autem in statu finalis, vtpote frigidum & tardum; laudandum est quod raro. Si autem medio modo, medio modo se debet habere; & aliquando deberet cessare, vt addiscat reuereri; aliquando accedere, vt inflammetur amore. Quia tali hospiti debetur honor, debetur & Amor. Et tunc secundum illam partem, secundum quam se viderit melius

pro-

proficere, ad illam magis declinet. Quod homo solum experientia discit. Omnibus his Frequentiam loquitur. Quotidianam etiam ab vtilitate commendat: *Si Quotidie tibi mundum adsit Cordis habitaculum. Si amor & reuerentia.* Vniuersim autem: *Salubre inquit ac vtile est, quod homo sæpe se ad illius Medicamenti susceptionem præparet; & quanto deuotius valet, illud percipere studeat.* Et infra: *Licet quandoque tepide, tamen confidens de Misericordia Dei, fiducialiter accedat. Quod si se indignum reputat, cogitet: quod tanto magis eget, & necesse habeat requirere Medicum, quanto magis se senserit ægrotum. Non enim opus est valentibus Medicus. sed male haben-*

Tract. de prof. Rel. l. 2. cap. penul.

bentibus. Nec ideo te quæris iungere Christo, vt tu eum sanctifices; sed vt tu sanctificeris ab illo. En quæ illicia vt Frequentetur, quæ consilia ne Prætermittatur Communio. Ex his & sensum, sed & laudabilem sæculi illius, Frequentius Communicandi condisces Praxim: quæ à nonnullis contrarietatem passa, agitandi dedit materiam; ac demum in fauorem Frequentantium concludendi.

De sequentibus iam, quid multis agam? In verba & sensa, tantorum (fere) iurarunt Magistrorum. Senserunt ac docuerunt idem. Nimirum, sanctum ac laudabilem, vtilem, non prætermittendum, frequentem Vsum SS. Sacramenti. Non credis? Tolle, lege Docto-

rum

rum volumina. Durandi etiam, in quibusdam alijs extraordinarium, in hoc puncto mire consentientem ac disertis pronuntiantem: *Laudabilius esse accipere Eucharistiam, quam abstinere; tam ex genere facti, quam ex parte effectus.* Quod si adhuc de sensu Communi subdubitas: Horum, ac Superiorum sæculorum Ecclesiam, cum sic deprecantem audis: *Vt cum Frequentatione mysterij, crescat salutis nostræ effectus.* Frequentationem SS. Sacramenti, & sanctam & salutarem, ex vniuersali Ecclesiæ sensu, credo statues.

Vixit 1310.

In. 4. dist. 12.

Orat. dom. 4 Aduen

Vltimis duobus Sæculis non immoror. Media cum fuerint, superiora inter ac Nostrum sæculum; Vixerint sensu ijsdem Communi.

Dio-

Dionysium tamen Carthusianum si non impiger euolueris, inuenies Tractatum de Communionis frequentia, assiduoque illius vsu; conformem ad mentem Ecclesiæ sui æui. Pontificiam quoque mentem suam, explicat Adrianus Pontifex. *Adhibita inquit præparatione, pro viribus fragilitatis humanæ; satius est sumere hoc Sacramentum, quam abstinere*. Sed istorum, vt & Priorum omnium sensum, Coronet ac concludat, Vniuersalis Ecclesiæ, per Oecumenicum Tridentinū Concilium, explicatus sensus. Verba sunt, omni memoria Fidelium omnium dignissima, quæ sequuntur.

Vixit 1470.

Vixit 1523. In 4. de Sacram. Euch.

Ab Anno 1545. ad An 1563.

Optaret Sacrosancta Synodus, vt in singulis Missis *Fideles adstantes, non solum spi-*

Sess. 22, c. 6

ſpirituali affectu ; ſed Sacramentali etiam Euchariſtiæ perceptione communicarent ; quò ad eos, Sanctiſſimi huius Sacrificij fructus vberior, perueniret. Quia tamen hoc, in tanta hominum ac negotiorum diuerſitate, vix futurum præuidit : Hinc, grauiſſimis, & Chriſtiana ponderatione ſæpe ruminandis verbis, Enixè ad Frequentem ſaltem, huius SS. Sacramenti vſum, eoſdem Fideles ſuos adhortando, inuitat : *Paterno inquit affectu admonet S. Synodus, hortatur, rogat, & obſecrat, per viſcera miſericordiæ Dei noſtri; vt omnes & ſinguli, qui nomine Chriſtiano cenſentur, in hoc vnitatis ſigno, in hoc vinculo charitatis, in hoc concordiæ ſymbolo, iam tandem aliquando conueniant,*

Seſſ. 13 c. 8.

&

& concordent; memoresque tantæ Maiestatis, & tam eximij amoris IESV Christi Domini Nostri, qui dilectam animam suam in nostræ salutis pretium, & carnem suam nobis dedit ad manducandum; hæc sacra mysteria Corporis & Sanguinis eiùs ea fidei constantia & firmitate; ea animi deuotione, ea pietate & cultu credant & venerentur; vt panem illum supersubstantialem, Frequenter suscipere possint; Et is vere eis sit animæ vita, & perpetua sanitas mentis; cuius vigore confortati, ex huius miseræ peregrinationis itinere, ad cælestem patriam peruenire valeant; eundem Panem Angelorum, quem modo sub sacris velaminibus edunt, absque vllo velamine manducaturi.

Quid vel clarius Ecclesiæ Vniuersalis sensum exprimere; vel efficacius, Frequentem SS. Sacramenti vsum, persuadere posset? Vtinam quod optat Sancta Mater, ab obsequentibus obtineat ac consequatur Filijs! Vtinam Corda, Primorum Primitiuæ Ecclesię Patrum, redeant in Corda Filiorum! atque hi, vel toties Quoties adstant Missis; vel saltem Frequenter Communicent; in eoque tam sancto & salubri opere ac consilio, conueniant, ac perseuerent.

CAP. III.

Requisita, ad Sanctè ac salubriter Frequentandum SS. Eucharistiæ vsum.

CVm frequens SS. Sacramenti vsus, tam ex parte Sacramenti; quam ex parte Sumentis considerari possit. Et quidem quantum de se, & ex parte Sacramenti; semper sanctus, semper laudabilis, ac fructuosus sit. Ex parte verò Sumentium, Varius esse possit: Sanctus vel vitiosus. Vt nobis nonnisi sanctus sit, ac salubris euadat; Aliqua adesse debebunt ex parte nostri. Quæ hic inquirimus. Et quidem.

§. I.

Requisita, ad sanctum Eucharistiæ vsum.

CLara sunt ac in aperto. Cum enim Eucharistia seu Caro Christi, verè sit Cibus Animæ. Sicut Cibus, ad bonum ac fructuosum sui vsum, requirit supponitque viuam, bonam, ac sanam costitutionem Manducantis: Ita & Cibus hic Animæ, viuā per Gratiam, bonam, ac sanam constitutionem Animæ. Quæ alio nomine, Dignitas recipientis appellari solet. Alioqui vt verum est: Caro mea
Io. 6. vere est Cibus. Qui manducat me viuet propter me;
1.Cor, 11, Ita quoque verum fuerit: Qui indignè manducat & bi-

bibit. Iudicium ſibi manducat & bibit, non dijudicans Corpus Domini.

Porro, Quæ & Quanta, dignitas in recipiente Fideli requiratur, ac neceſſaria ſit ſimpliciter? ſeu neceſſaria ad hoc, vt quis non indignè, proinde abſque periculo Iudicij manducare poſſit. Edocuit eodem loco Paulus, inquiens: *Probet autem ſe ipſum homo, & ſic de pane illo edat.*

Vt adeo Dignitas ad Euchariſtiam, in recipiente, ſit ac eſſe debeat: Probatio ſui ipſius.

Ne autem multum ſolliciti, dubij, ac incerti, circa hanc ipſam Probationem, inueſtigandam, intelligendamque verſaremur.

Quidnam hæc ipſa Probatio ſit? In quonam conſi-

ſiſtat? Quæ & Quanta eſſe debeat? prouida circumſpiciens Mater Eccleſia, Clare hæc omnia explicuit, propoſuit, edocuitque per
Seſſ 13 c.7. Concilium Tridentinum, ſub Titulo: *De Præparatione quæ adhibenda eſt, vt digne quis Euchariſtiam percipiat*. Vbi ſic loquitur: *Eccleſiaſtica Conſuetudo declarat, eam Probationem neceſſariam eſſe; vt nullus, ſibi conſcius Mortalis peccati, quantumuis ſibi contritus videatur; abſque præmiſſa Sacramentali Confeſſione, ad ſacram Communionem accedere debeat*. Et Can. 11. *Ne tantum Sacramentum indigne, atque ideo in mortem & condemnationem ſumatur. Statuit atque declarat ipſa Sancta Synodus: illis quos conſcientia peccati mortalis gra-*

grauat, quantumcunque etiam ſe contritos exiſtiment, habita copia Confeſſoris, neceſſario præmittendam eſſe Confeſſionem Sacramentalem.

Dignitas igitur ad Communicandum abſolutè neceſſaria, ac ſufficiens eſt: Eſſe abſque conſcientia peccati Mortalis. Vel ſi tibi huius conſcius ſis, illud ipſum (perſe loquendo) prę-uiè Clauibus, in Sacramento Pœnitentiæ, per confeſſionem ſubijcere ad remiſſionem. Quod totum vt patet, potius (explicite ſaltem ac directe) videtur ſignificare: Non eſſe indignum, quam eſſe dignum. Quare ſicut Indiſpoſitio, per quàm ad Iudicium Manducatur & bibitur, & ob quam aliquis a communione eſt arcendus; iuxta Apoſtolum

est Indignitas ſeu indignè ſumere. Ita diſpoſitio, qua ſuppoſita Chriſtus manducatur ad vitam, & fructuosè manducari poſſit; eſt, non indignè manducare, ſeu manducare ſine eo, quod ſcias ſeu conſcius tibi ſis, inexiſtentis in Anima peccati Mortalis: Seù manducare cum Probatione tui ipſius; hoc eſt cũ inſpectione Conſcientiæ; eam explorando, num in ea tibi occurrat peccatum mortale, nec ne? ſique occurrat, illud per Confeſſionis Sacramentum ſubmouendo.

Et hoc ſolum ac vnicum ex parte Animæ, neceſſario requiri docet Apoſtolus, docet Vniuerſalis Eccleſia. Hoc ſi adſit; dignè manducatur & bibitur. Ex quo vlterius.

Con-

Conſectaneum eſt, ac cõſtare poteſt. Reliquas omnes Dignitates, diſpoſitiones præparationes Fidelium, ſanctè ac laudabiliter vſurpari, & à Sanctis Patribus alijſque viris doctis ac pijs ſuaderi ſolitas; Non requiri tanquam ita neceſſarias; vt ſi abſint, illico indignè Manducetur. Sed tanquam multum Conuenientes, congruas ac cõducibiles ad melius, ad maiori cũ fructu & condecentia Communicandum. Siquidem quo maior eſt Recipientis diſpoſitio, præparatio: eò quoque liberalius ſua dona communicat, diues in omnia Chriſtus. Immo cum ea ipſa ſic ſuaderi ſolita; qualia ſunt: perfectio Virtutis, magna deuotio ac reuerentia, mortificatio & ſimilia, cum

inquam ea sæpe per vsum SS. Sacramenti primo donentur vel augeantur, & dona Dei sint, ab hoc SS. Sacramento sæpe promanantia: ea igitur tanquam dispositiones exigere, adhoc vt digne accedas; est tantundem facere, ac nolle ad ignem accedere, nisi prius aliunde calidus sis ac calefactus. cum tamen Ignis ad calefaciendum ordinetur. Conscientiam itaque, & Cor Mundum à peccato mortali apporta. Hoc necessariũ vnice,ac sufficit; ad Sanctum dignumque Eucharistiæ vsum.

Ea-

§. II.

Eademne ad Frequentem SS. Euchariſtiæ vſum Sanctum ſuffi-ciunt?

VT in Primò, ita & in hoc Secundo, tutius Eccleſiæ requiremus ſenſum. Et eum quidem palam loquuntur ac edicunt SS. Patres. Quorundam verba ſupra iam allegata, hic etiam retuliſſe non oberit: *Quemadmodum qui ſibi nullius mali conſcius eſt, hunc oportet ſingulis diebus accedere; ſic qui peccatis occupatus eſt neque pœnitet, ei nec in feſtis accedere tutum eſt*, inquit Chryſoſt. Sola Peccata, necdum per pœnitentiam deleta (plane ac Or. de B. Phil

Tridentinum ſupra) acceſſum tutum prohibere innuens. Athanaſius (niſi malis Theophilactum) in illud Pauli: probet ſeipſum homo: *Neminem tibi inquit iudicem propoſuerim, præter te ipſum. Tu itaque conſcientia examinata diſcuſſaque, adito ea myſteria, non feſtis profeſtiſque diebus, ſed quouis tempore; cum purum te & dignum compereris.* Cyprianus. *Quotidie inquit cibum ſalutis accipimus; intercedente aliquo grauori delicto, abſtenti & non communicantes, à cæleſti pane prohibemur.* Hilarius: *Si non ſunt tanta peccata, vt excommunicetur quis; non ſe debet à Medicina corporis & Sanguinis Domini ſeparare.* Hieronymus: *Vtinam poſſemus Eucbariſtiam abſq; condem-*

Bellar deScri ptor. Eccl.

Ser. 6. in Or. Dom.

De Cõ ſecr. diſt. 2.

Ad Lu cin.

demnatione nostri, & pungente conscientia semper accipere, & Psalmistam audire dicentem: Gustate & videte quam suauis est Dominus. Augustinus: *Innocentiam ad altare reportate; peccata etsi sint quotidiana, vel non sint mortifera. Securus accede, panis est non venenum.* Idem: *Omnibus dominicis diebus communicandum suadeo, si tamen mens sine affectu peccandi sit.* Bonauentura: *Si quis semper esset paratus, semper vtile esset hoc Sacramentum accipere; vt Mundum receptaculum habens, comederet cibum illum cum honore, deuotione, & fructu multiplici.*

Tr in Euãg. Io. 26.

De Eccl dogm. c. 33.

in 4. dist. 12

Omnes hi ac plures alij, de Frequenti Communione loquuntur. Omnes vno edicunt ore: *Mala & pec-*

cata grauia ab eadem frequentia prohibere. Mundam ab his malis ſi habeat Conſcientiam, ei frequenter accedendum. Quod ipſum, & non aliud, ad ſanctum Euchariſtiæ vſum requiri, ſupra commonſtratum eſt.

Vide iam, ſi non iure quis Statuat cum Patribus: *Ad hoc, vt quis Frequenter nec indigne Communicare poſſit: Idem plane requiri ac ſufficere, quod requiritur ac ſufficit, vt quis ſemel vel bis communicet in Anno.*

Et verò ſi te Probes hodie, ſi non tibi conſcius ſis mali & peccati Mortalis. Dignus es, vel ſaltem non indignus, qui Accedas hodie, qui manduces de Pane illo. Quotieſcunque igitur te ſimiliter probaueris, nec conſcius tibi fueris peccati

mor-

mortalis, vel quia nullum, per Dei gratiam post Confessionem ac Comunionem vltimam commiseris; vel quia commissum per confessionem, & pœnitentiæ Sacramentum deleueris, Nonne similiter toties digne accedes & manducabis?

Probatio sui, est dispositio; & exigitur, non propter numerum, sed propter eum qui manducatur, scilicet Christum. Cum ergo nec Alter, nec Maior, nec dignior sit Christus, semel vel millies acceptus; Sed Idem semper ac vnus, semper dignissimus, purissimus: Dispositio quæ ad semel nõ indigne recipiendum sufficit, sufficiet ad millies ac semper eundem recipiendum. Hoc loquuntur su-

pra PP. hoc ſonat cum Tridentino Eccleſia. Quæ vt optat, *ſingulis Miſſis à Circumſtantibùs Communicari*; vt Materno affectu, per viſcera miſericordiæ Dei rogat & hortatur, vt panem hunc ſuperſubſtantialē Frequenter ſumant ſinguli; ita Omnibus ad eundem ſumēdum, viam ac rationem optat facilem, monſtrat expeditam pariter ac ſecuram.

Cumque nihil exigat amplius præeunte illi Apoſtolo, quàm *vt ſe quiſque probet, & ſic* ſine omni vlteriori requiſito, *Edat de Pane illo*: Nihil poſtulet amplius, quam immunitatem à Conſcientia peccati mortalis; Hanc autem per Dei gratiam in pleriſque Fidelibus, piæ Matris adhortationibus obſequi cupientibus, inueni-

re

re est. Non occurrit, Cur aut quare requiratur amplius? Cur solicite quæramus, cogitemus, ac imponamus onera? quorum difficultate, deterreantur potius, quam alliciantur Fideles: contra quàm optet Ecclesia.

Iure igitur & secundò repetendum illud Chrysostomi: *Qui sibi nullius Mali* (scilicet mali simpliciter, oppositi Bono simpliciter) *conscius est, hunc oportet singulis diebus accedere.* Vel Athanasij. *Conscientia examinata discussaque, adito ea mysteria, non festis profetisque diebus; sed quouis tempore.* Hoc solum à te Scriptura, hoc PP., hoc & non amplius ad dignè frequenter accedendum, requirere videtur Ecclesia.

Nunquam tamen immemor; Quod quo te magis per virtutum Exercitia, pietatis ac perfectioris vitæ ſtudia diſpoſueris; eò dignius, & fructuoſius hoc Sacramentum percepturus ſis.

Cæterũ ſi hæc ipſa in te nondum videas, nondum comparaueris, aut nondum experiris; vel ideo accede frequentius; vt ea quæ deſunt, à fonte Bonorum omnium obtineas, euadaſque melior, feruentior, ac perfectior. Non enim accedis vt tu Chriſtum, ſed vt Chriſtus te perficiat, ſanctificet, in ſe conuertat. Stante interim: quod maximè congruum ſit, ac poſtulet Diuinæ Chriſti Perſonæ dignitas; vt te ad eum frequenter recipiendum, pro

vi-

virili præparare studeas, hospitiumque Animæ tuæ, per pia desideria, fidei, & ardentioris charitatis Actus, vitamque etiam à Quotidianis, notabilioribus saltem lapsibus immunem adaptes.

Nihilominus; sicut hæc in ijs, qui raro aut semel in Annum communicant, ad semel dignè recipiendum, non exiges; ita nec ad Frequenter dignè communicandum, expectare debes. Alioqui vel rarissime penitus, vel communicaturus nunquam. Quacunque enim bona præparatione data, facere poteris meliorem; & quia hanc congrue, exigit Christi recipiendi dignitas; hanc quamdiù non feceris, expectare debebis; & hac ipsa meliorem; cum tibi pos-

possibilis, Christo autem debita sit. Ne igitur te ipsum, aliosque oneres immodicùm, Apostolico standum iudicio: *Probet seipsum homo, & sic manducet.*
1.Cor 11.
Hoc ad raro, hoc ad frequenter dignè communicandum sufficit.

CAP. IV.

Determinatur vsus SS. Sacramenti Frequentia.

PRæſuppoſita diſpoſitione,ac Requiſitis. Quoties & Quam Frequenter Communicari poſſit? non immerito requiſiueris. Expeditè tibi ſenſum meum aperirem; niſi crederem, etiam in hoc puncto, libentius te accepturum ſenſum Sanctorum & Eccleſiæ. Quare ſi in quæſtionem veniat (vt proculdubio veni apud eos,& apud quos vltra id quod omnino debent, operando progredi, nefas ſit.) Si inquam in Quæſtionem veniat.

Fre-

§. I.

Frequentia vsus, ex Præcepto.

QVàm frequenter Fidelibus Ordinarie communicandum esset? Præceptum Domini non inuenio.

Ecclesiæ id determinandum reliquerit; conformiter ad illud Apostoli: *Cætera cum venero disponam*; Ecclesia autem, cum Præceptis ac statutis suis, Fidelium vtilitati seruire contendat; ideo attenta varia conditione ac constitutione hominum, diuersis Sæculis, diuersa Communicandi præscripsit tempora ac vices.

1. Cor. 11. D. Th. 3. p. q. 80 a. 11 in Cor.

Primis quidem sæculis (qui-

(quibus Fideles in dilectione Dei & Christi feruentiores; precibus, orationibus, alijsque Diuinis intenti officijs vacarent) præscriptũ legitur: Vt quoties Fideles adstarẽt Sacrificio; toties cõmunicarent. Prout supra ex Anacleto Pontifice constitit. Deinde imminuto feruore, Communio ad singulos dies Dominicos, consuetudine praxique Fidelium redacta, vt patet ex Augustino. Epist. 118. Sed cum ea Sanctitas, crescente populo, decreuisset; iamque rarius communicaretur. Fabianus Papa sanxit: Vt minimum Ter in annum omnes Eucharistiã sumerent; in Paschate, Pentecoste & Natali Domini. De Cõsecr. dist. 2. C. Etsi Cuius Edictum à Concilio Agatensi, aliquot post seculis confirmatum. cap. 18

Tan-

Tandem multiplicata Gente, ſed & ſimul varietate Negotiorum vitiorumque; cum nec illa vigeret obſeruantia. Concilium Lateranenſe decreuit: Vt omnes Fideles vtriuſque ſexus, ſemel ſaltem in anno, idque circa feſtum Paſchatis, Corpus Domini acciperent: qui id negligerent; aditu Eccleſiæ prohiberentur.

cap. 21

Quod ipſum Statutum, Concil. Tridentinum renouando firmauit.

Seſſ. 14 c. 8.

Vt iam ex Præcepto Eccleſiæ, ſemel in annum Communicandum ſit, ac ſufficiat. Adiecerim tamen hic illud Petri Bleſenſis: Non audeo inquit dicere ex Præcepto Eccleſiæ, ſed ex tacita permiſſione ipſius introductum eſſe; vt ſemel in anno, in Paſchate congre-

Ser. 16 de Heb pœnoſ

gregentur Fideles in Ecclesia, ad Communicandum: quod omnino præteriri nefas est.

§. III.

Frequentia usus, ex Consilio.

QVænam sit? quam optet, quam suadeat Ecclesia? Fas est colligere ex dictis supra cap. 2. Quare, si quis perfectiora Consiliorum secutus; Quoties & Quam frequenter, libere ac licite; immo sanctè ac fructuosè communicare possit requirat? Credo sensum Christi, Ecclesiæ, ac PP. (relatum aliàs) satisfacturum illi.

Bis vel sæpius in mensem

ſem præſcribit Hierony-
a in Reg. ad Euſ. c 19. mus a. Dominicos ac Fe-
ſtos dies probat b idem. Ba-
ſilius quater in hebdoma-
dam, immo ſingulis diebus,
b in Ep. ad Gal. 9. ad menſam Domini inui-
tat ſuos c. Panem ſuper-
c Epiſt 289. ſubſtantialem, Quotidianũ
cum voluerit Chriſtus, hinc
illud Ambroſij: *Accipe Quotidie*. D. Thomæ: *Laudabile eſt Quotidie ſumere*.
Chryſoſtomi: *Oportet ſingulis diebus accedere*. Au-
Ser. 28 de Ver. Dom. guſtini: *Accipe quotidie*.
Rationem ab eo ſi poſtules:
De cult. Agr. Dom. *Anima inquit Christiana, ſerua decorem tuum. Vide ne deſeras menſam Domini tui. Vt pulchra permaneas, Carnem eius Quotidie manducabis.*
54. Hõ ho. 41. *Norunt Fideles quid accipiant; & Bonum eſt eis accipere Panem Quotidianum. Euchariſtiam tuam,*

Quo-

Quotidianum cibum da nobis hodie,&c. Sed.

MOTVS IN CONTRA.

Ergo ne (inquies) Vnusquisque indiscriminatim, Quotidie vt communicet, Mensæque Domini vt accumbat permittetur? Quæ Nouitas! Quæ indignitas! Quæ audacia! Quę demum differentia Sacerdotij!

Non meas sed Patrum locutus sum sententias. Quę si tibi id inferre ac euincere videntur: Vt ille, qui sibi peccati mortalis conscius non est!, Frequenter interim, immo & Quotidie accedere desiderat, hoc inquam illi negandum nō sit; non tecum litigo, nec fidem destruo.

Neque enim forte sine iniuria, ei negaueris Bonum illud; quod cum ei prosit

Quo-

Quotidie, ac ſine limitatione reſtrictioneque ad certum tempus, eidem à Chriſto, PP., & Eccleſia permiſſum eſt; Quotidie à te petit. Limitationem exhibere incumbet tibi. Illimitatè ad Perſonas, modo ſe ipſas probauerint & ſic edant: illimitatè quoque ad Tempus, immo Quotidie communicandum ſuadent illi: Recole dicta PP. Audiſti Auguſtinum: *Anima Chriſtiana. Norunt Fideles, &c.* Nunquid non Omnes, Fideles? non vnuſquiſque indiſcriminatim Anima Chriſtiana? Atqui ijs dicitur: *Carnem eius Quotidie manducabis. Bonum eſt eis accipere Panem Quotidianum.*

Sed age. Nunquid ſi Dignus quiſpiam, hoc eſt pro-

probatus; bis vel ter hoc anno à Te petat cõmunionem. num eum iustè reijcies? Non credo. At, quid Iuris habet amplius hoc anno bis petendo; quam habiturus sit anno sequenti, quo petet singulis mensibus, immo & diebus; æquè probatus ac Mundo corde.

Quid si non á Te; sed ab Alio petat? Quid tibi exinde incommodi? vt impedias, prohibeas. Legeris non dubito illud statutum Ecclesiæ: *Non prohibeat Dispensator, manducare Pingues terræ, in mensa Domini.* Quod si non debet prohibere Dispensator: Minùs illi, ad quos vel non spectat; vel non petitur ab ijs dispensatio. Minùs inquam prohibere debent Christi pauperes, qui ex deuotione,

De Cõsecr. dist. 2. Aug. in Ps. 48.

ac

ac pro suo quotidianis in ærumnis solatio, ad hanc mensam (ad quam tribulationes efficiuntur consolationes) accedunt: Nisi contra iustam & sanctam Ecclesiæ prohibitionem, inconsulte id attentare velint.

Chrys. in Ps. 22.

COMPOSITVS MOTVS.

Quæ inquis Nouitas! Nouitas est, sed hoc frigescente sæculo. Antiquitatem frequentationis, immo apud plerosque Quotidianæ Communionis; per omnia Christianitatis sęcula paulo supra legeris.

c. 2.

Quod vero proximis hisce Sæculis, ad Cænam Magnā, ad nuptias agni, raro vel pauci veniant licet Inuitati; causas excusationum habes in Euangelio. Verbo: superabundauit iniquitas, refrixit

Luc. 19.

Cha-

Charitas. Ab initio non fuit sic. Paucorum iam est felicitas, iugiter appropinquare & frui Deo. Non tamen ideo nouitas arcenda: Nisi & sanctitas, olim communis omnibus fere Christianis, nunc paucorum; pari iure sit nouitas Arcenda. Quanquam fuerit Nouitas, frequens Communio: ideone arcenda illico? Sic & Christi Euangelium iure arcebitur inter Gentes; noua virtutum, Religionũ, prohibebuntur studia. Noxia iure arcetur Nouitas. At Quotidianus SS. Eucharistiæ vsus, inter Fideles Culpæ mortalis sibi nequaquam Conscios; quid inferat Mali? (tantorũ olim Fons & Bonorum origo) vt iustam Censuram mereatur. Cum potissimum

vt Bona ac laudabilis, sancta & fructuosa, semper exoptata sit ab Ecclesia.

Quæ Indignitas! Dignitatis est quantum sufficit ad hoc, ne accedatur Indigne; vbi Cor & Anima pura. Nisi Paulo & Ecclesiæ succensere velis; non aliam, pro fragilitate & tenuitate humana, requirentibus dignitatem.

Sed neque indignandi locus relinquitur Homini, vt is succenseat alijs ad pedes & Corpus Domini hærentibus, eum frequenter pio ore ac corde basiantibus: vbi tam benigne inuitantur, ac venire iubentur omnes; Dominumque sortiti defensorem sui, audiunt:
Mar.10 *Sinite paruulos venire ad me.*
Io.12. *Sinite eam. Quid molesti estis huic, &c.*

Quæ

Quæ audacia?

Non est audacia sæpius accedere ad Dominicam mensam, sed indigne accedere; etiamsi semel tantum quis tota sua accedat vita, respõdet Chrysost. Ac inardescens vltra: *At nos inquit adeo stolidi, adeo insensati sumus; vt cum innumera per totum annum scelera perpetremus, nihil ea curemus exuere: cæterum satis arbitramur, si non assidue præsumamus contumeliose Christi Corpus attingere. Neque intelligimus miseri, quod hi qui Cruci Christum affixerunt, semel tantum id fecerint. Non igitur quia semel crucifixerunt, minus idcirco delictum est. Et qui Christum prodidit, semel tantùm prodidit. Nunquid ergo hoc illum supplicio eripuit? Quid igitur hanc rem tem-* Ho. 5. in Ep. 1 ad Timot.

poris lege metimur. Tempestiuum accedendi tempus, Munditia conscientiæ faciat. Nihil habet amplius, quod in Pascha consummatur Mysterium, quam quod continuo celebratur. Vnum quippe atque idèm est, eadem est Spiritus Sancti gratia, semper Pascha est. Intellige, vbi Munditia coscientiæ est.

Quæ differentia Sacerdotij! Fuitne adhuc olim, cum Fideles communicabant Quotidie? Eadem & nunc. Et magna quidem.

Sacerdotum est, Conficere Corpus & Sanguinem Domini, alijsque Communicare, seu distribuendo Communem facere. Aliorum verò Fidelium, reuerenter ad Confectum accedere, de manibus Sacerdotum recipere. Vtrisque

ta-

tamen dictum est: *Hoc facite*. Sacerdotibus; *Hoc facite*, offerendo Sacrificium, & consecrando Hostiam. Fidelibus, deuotè accedendo, Manducando. Vtrisque dictum: *Quotiescunque feceritis*; rationem frequentiæ indicando.

Sed hæc incidenter; eo fine: Ne Mira videatur sententia Patrum.

Cæterum *De Frequentia Vsus*, difficili hoc determinationis in Negotio; Meum quoque si desideres sensum?

Mediam insisto Viam. Atque licet (vt alias c.2. Innui) ad dignè frequentandam Communionem, de necessitate simpliciter, non requiratur aliud; quàm conscientia immunis à Mortali; quam proinde, quando, &

quoties adesse contigerit; tunc, & toties quis licite communicare possit. Tamen, cum & congruum sit, Honori ac Amori Christi recipiendi, indulgeri liberalius: Et plerique Fidelium Vitæ etiam inculpatæ, alijs vt plurimum distenti, tantum sibi salutaris otij vix assument; vt à curis suis abstracti, sibi Deoque, toties quoties possent, vacare velint. Hinc vsum SS. Sacramenti:

§. III.

Ad octauum saltem quemque diem, in plerisque Fidelibus

SVadendo Determino. Secutus etiam hic, ma-

gna

gna Ecclesiæ lumina, Hieronymum, Augustinum (nisi illo loco sit Alcuinus) ac alios supra iam toties memoratos. De Eccl. dog. c. 53.

Et verò, cum hoc diuinum Epulum, Omnibus à Deo præparatum sit eo fine; vt frequentetur. Quæ dies aptior, Dominica? Qua à grauiori opere & labore quiescere iussis; *Vacare & Videre liceat quam suauis sit Dominus*. Qua in honorem Resurrectionis Dominicę consecrata, & ipsi quoque Resurrectionis nostræ admoniti; cum desiderio gustuque, manducemus Panem illum viuificantem nos, de quo Saluator: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum Sanguinem; habet vitam æternam. & ego resuscitabo eum in nouissimo die*. Io. 6.

Qua memoriæ Dominicæ dicata ſpecialiter; eam quam Chriſtus præcepit, ſpecialem ſui faciamus (accipiendo & manducando) Commemorationem: Diuinorumque, per reliquos dies beneficiorum in nos collatorum non immemores; Memoriam & nos faciamus mirabilium ipſius, eſcam ſumamus, quam in hunc
Pſ. 110. finem, *Dedit Timentibus ſe*.

Cur autem pleriſque Fidelium (ſi quis eorum Domui ac familiæ ſuæ cum Dei timore præeſt. Si vitam agit Chriſtianam. Si Attendit ſibi, ac ſuo congrue viuendi inſtituto; Peccata grauia vel deuitat penitus, vel commiſſa plangit. Operibus pietatis pro ſuo inſiſtit modulo) Cur inquam ab

ab hac Animæ suæ refectione ac solatio, arceatur vel abstineat. An Coniugium? vel ad Conuictum humanum quodpiam spectans officium, in crimen vocari possit? Atqui similibus distenti ac innodati; pridem Augustini, Hieronymi, Chrysostomi, & Ecclesiæ tot sæculorum, pro se meruerunt suffragium: *Probent seipsos & sic de Pane illo edant*. Maximè si dum communicandum est, attenti viuãt ad illud Pauli, in simili: *Non fraudantes* 1.Cor *vos inuicem, nisi forte vt* 7. *vacetis orationi*.

Si enim implicati sæculo (*quod in maligno positum*) 1.Io.5 grauioribus frequentioribusque animi expositi sunt vulneribus: tanto igitur magis ac frequentius hoc

cælesti opus habebunt Medico, vel Epulo quo augentur vires, ad resistendum illi, qui *circuit quærens* Pet. 5.
quem deuoret. quique plagis Luc. x.
impositis, tot relinquit mortuos. Si temporalibus innodati, periculum adeunt, ne per eadem transeundo amittant æterna: Panis hic illis frequentior porrigendus; quò labilitatem vilitatemque temporalium, stabilitatem è contra & pretium æternorum, ipsumque adeo Christum *cognoscant*, ac
Luc. 24 firmiter teneant *in Fractione Panis*. Cumque se malis, vel mole negotiorum ac laborum grauatos sentiant; sibi dictum credant: *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam Vos*. Post labores & quotidiana opera, octauo Matt. 11.

vel

vel septimo quoque die, Quietem Animabus suis reperturi. Recolent suis in pressuris, tædia ac ærumnas Eliæ, *petentis animæ suæ vt moreretur*? Solatium simul ac vires, à supersubstantiali pane habituri. Memores ipsa nocte Dominicæ Passionis (cum gladiorum ac fustium imminerent pericula) ad robur & vires animi præscriptū esse Apostolis: *Accipite & manducate.* Sic modicum farinæ, tollet omnem amaritudinem animæ: *Calix Domini inebrians*, obliuionem inducet curarum, afflictionum, ac malorum omnium a.

3.Reg.

4.Reg. 4.

a Clē Alex. pædag. c.3.

Ergo Venite Omnes, qui laboratis, qui onerati estis, Quoties laboratis & onerati estis; & reficiet vos, & inuenietis requiem Ani-

mabus vestris.

Nisi forte aliqui, grauioribus molestioribusque status, & officij pressi sint oneribus. Nihilominus & hi, ceu *Ligna vitæ, in vtraque parte fluminis Paradisi*, duodecim saltem adferre fructus, reddereque volent per menses singulos fructum suum illi, à quo eo loci prouidè plantati sunt.
Apoc. 22.

Licet & ijs, (quando sepositis curis, & quæsito ad tempus otio, Deo ac saluti suæ vacant) illud Athanasij aptandum censeam: Tu itaque conscientia examinata discussaque, adito ea mysteria, non festis profestisque diebus; sed Quouis tempore, cum purum te & dignum compereris.
In 1. Cor. 11

§. IV.

Ad omnem diem, Aliquibus ſaltem.

QVotidianas ad Chriſti Menſam Epulas, potiſſimum Aptauerim ijs. Qui à pungentibus ſæculi ſpinis curiſque multis expediti, a grauioribus lapſibus immunes, à leuioribus ſibi etiam ſtudiosè cauent. Atque (vt plurimum) vel cum Anna in templo, vel cum Magdalena ad pedes Domini conſidentes, *Optimam ſibi elegerunt partem*. Eam quamdiu non deſerunt; ſed orationi, Meditationi, alijſque pijs vacant virtutum exercitijs; cum Mundo vix aliud commune habentes, quam quod in Mundo

Luc. 2

Luc. x

ae

ac mortalitate viuant; de cætero, totum vel potissimũ ipsorum studium est circa Regnum Dei, conuersatioque si nõ tota, vt plurimum tamen in Cælis est.

His talibus, si, vel vbi reperiuntur: Quotidianam illam Mensæ Dominicæ participationem, & suaderem, & laudabiliter ab ijsdem frequentari, ac ijsdem recte concedi posse non dubitarem.

Cum enim non sint deteriores Christianis Primorum sæculorum (nam nec nunc abbreuiata est manus Domini) Eorundem cur non gaudeant Quotidianæ Communionis priuilegio? Hoc, & pro His minimum euincere voluerint, Ambrosius, Chrysostomus, Augustinus alijque supra relati Patres.

tres, ad Quotidianam SS. Eucharistiæ sumptionem tam ardenter excitantes. His nimirum fas sit, illi Paterno Ecclesiæ, per Tridentinum insinuato, obsequi desiderio: *Optaret SS. Synodus, vt in singulis Missis adstantes, non solum spirituali affectu, sed Sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicarent.*

Consentientes in hoc video, ijsdemque suffragantes Asceticos, & rerum Spiritualium peritos PP. a. Secutos D. Thomam in 4. dist. 12. ad 1. vbi cum præmisisset: Ex parte recipientis duo requiri. Scilicet desiderium Coniunctionis ad Christum per amorem, & reuerentiam. Subdit: *Si quis experimentaliter cognosceret, ex Quotidiana*

a Card Matthæi a Polon Dial. Exhor pag. 44. De Ponte Tr. 4. de Perf. c. 6. Iac. Baius de Euchar. c. 19.

sum-

ſumptione feruorem Amoris augeri & reuerentiam non imminui ; Talis deberet Quotidie Communicare.

De Profe, l. 2. c, 77. Secutos item D. Bonauenturam. Qui cum ſuper Frequenti Communione cuique facienda pronuntiaſſet: *Quod non poſſit ſuper hoc Omnibus dari Regula vniformis.* Varia enim ſunt hominum merita, & diuerſa operum ſtudia, & differentia deſideria, & multiplices Spiritus Sancti operationes in ſingulis, & diuerſi etiam ſtatus in ipſa religione. Proinde: *Sicut ægrotantibus non poteſt vna forma ſeruari in dandis medicinis corporis, propter diuerſitates complexionum, aut loci, aut temporis, aut diætæ conſiderationem; pro quibus aut rarius, aut ſæpius medi-*

cina datur. *Ita & de Medicina spirituali (quæ est Corpus Christi) intelligendum.* Nam Mundanis curis occupati, rarius se possunt ad illud recipiendum expedire; quàm illi, qui tantum Spiritualibus studijs sunt intenti. Aliqui magis vel minus circumspecti in custodia vitæ suæ, & in morum ac conscientiæ suæ puritate. Alij etiam ardentiori desiderio trahuntur, ad illius salutaris cibi perceptionem: Alij verò quodammodo terrentur, cum deberent accedere.

Hæc inquam cum pronuntiasset atque adeo statuisset: *Quod vix aliquis ita Sanctus ac Religiosus esse videatur, exceptis Sacerdotibus. Quin semel in septimanam sufficiat ei ex Consue-*

ſuetudine communicare.

Addit continuo fauorabilem Exceptionem illam: *Niſi inquit ſpecialis cauſa quandoque, vel ratio plus ſuadeat; ideſt infirmitas ſuperueniens, vel ſingulariter feſtiuitas ſolemnis, vel inuſitatæ deuotionis feruor, & intemperans deſiderij ſitis ſit, pro illius ſuſceptione, qui ſolus ſufficit amantis Animæ ardorem refrigerare. Et quia talis ardoris impetus, nonniſi à Spiritu Sancto (vt creditur) infunditur: ideo legibus humanæ conſuetudinis, & ſtatutis mortalium non arctatur.*

Salubre tamen & vtile eſſe, Concludit: *Quod homo ſæpe ad illius Medicamenti ſumptionem ſe præparet; & poſt ſuſceptionem, in ſtudio deuotionis*

ſe

ſe contineat, attentius tamen Religioſi, & qui obtulerunt ſe Deo, &c.

Ex his & ſimilibus dictorum Patrum ſententijs: Hæ, circa Frequentem Cōmunionem, diſtinctius formari ac poni ſolent Regulæ.

1 Vt Fidelibus timoratis ac pijs (maxime ſi circa tempus Communionis continenter viuant,) ſemel in hebdomada *ex ordinaria conſuetudine* Communio ſuadeatur. Etiam frequentius in Infirmitate; vel ſi feſtiuitas ſolemnis, aut feruor deuotionis accedat.

2 Quod ſi autem Perſonæ aliquæ, à Matrimonio & ſæculi deſiderijs liberæ, Diuino iugiter intentæ obſequio; virtutum Exercitijs, ſibi, deuotioni, ac Deo va-

vacent: ijs ter, aut quater in hebdomadam, diuinam frui mensa conueniens fuerit.

4 Immò & Quotidie inuitandos non dubitant. Potissimum, si adsit specialis Vocatio seu instinctus Dei. Quem ipsum Anima (Deo & voluntati ipsius addictissima, feruens ac amans) Cognoscet ex hoc potissimum signo: si famem, internumque communicandi desiderium in se excitari sentiat ex eo. *Primo*. Quod optet se Christo amanti, magis ac magis vnire; in ipso manere, ac ipsum manentem in se habere. *Secundo*. Quod sentiat ac experiatur, à sumptione necessitatibus suis remedium. Vt si afflictus, tentatus, pusillanimis, infirmus,

mus, experiatur melius se habere, hoc sumpto Altaris Antidoto; ac propterea illud vehementer desideret. *Tertio*. Quod sentiat spiritualem profectum, & fructus quos communio secum adferre nata est; vt si crescat humilitas, mansuetudo, charitas Dei ac proximi, dilectio inimicorum, Resignatio sui, Reuerentia, aliæque virtutes, quibus vita spiritualis animæ solidetur, ac crescat. Hæc si adsint; Indicium fuerit, aliquem à Deo singulariter vocari: vt obtineat fructus ac finem, ad quem hæc diuina mensa est instituta: *Ego sto ad ostium inquit & pulso. si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum, & Cœnabo cū illo, & ipse mecū.* Apoc. 3.

His

His talibus, vt vltra ordinariam vitam viuentibus, ita & vltra ordinarijs fauoribus non indignis, insonue-
Cât. 1. rit illud: *Venite, Comedite amici, & inebriamini charissimi*. Si tamen præcesserit illud: *Veni in hortum meũ, Messui myrrham cum aromatibus meis*, Mortificationem scilicet, ac Sanctorum operum fragrantiam. *Inuitat*, inquit Ambrosius,
Super Cant, 5 *amicos, qui amant & amantur; desiderat eos comedere ac bibere, vt inebrientur*. Quod inquit Gregorius: *Est mu-*
Ho. 10 in Eze *tare iudicium, in eo quod antea sentiebat; sensum ac dictamina huius Mundi, in ea commutando quæ Christi sunt; & carnis fortitudinem, in eam quæ est Spiritus*. Qui tamen etsi inebrientur, non tamen satu-

rati

rati manent, ſed eſuriunt ac ſitiunt iterum. Nam vna communio, ijs eſt noua quędam Vocatio, & inuitatio noua; quæ nouam famem nouamque ſitim excitat, vt dicant cum illis: *Domine ſemper da nobis hunc Panem. Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie*, Omni die. Annuente ipſorum deſiderijs, ac vltro inuitante Domino: *Venite Comedite, accipite manducate. In funiculis Adam*, inquit, *traham eos, in vinculis charitatis, declinaui ad eum vt veſceretur*. Io.6. Oſeæ 11.

Cæterum, in hac ipſa diuina ſpeciali vocatione dignoſcenda; ne innitantur prudentiæ ſuæ. Sed prudentis, peritique rerum ſpiritualium Moderatoris iudicio ſtent, moneo? Qui

ha-

habito respectu Reuerentiæ Sacramenti, ac necessitatis ipsorum; vbi debita adfuerit dispositio pręparatioque, statuat in Domino de Frequenti, vel Quotidiano SS. Eucharistiæ vsu, prout & quando melius iudicauerit. Non immemor tamen benigni illius Ecclesiæ sensus, per Concilium Tridentinum supra, in fauorem Desiderantium explicati.

CAP. V.

Allicientia ad Frequentem SS. Eucharistiæ Vsum.

BOnum, eſt quod allicit. Hoc cum triplex numerari ſoleat; Honeſtum, Vtile, Delectabile: Omneque in Frequentem SS. Euchariſtiæ vſum confluxerit; alliciet quam maxime.

Et verò, Honeſtum ſummeque glorioſum quis dubitet? frequenter inuitari, adhiberi, aſſidere menſæ Regis Regum Chriſti, Intime ac familiariter, amiceque verſari cum Dei Filio.

Delectationi explicandæ

Gē.49 non immoror: *Pinguis est Panis, & delicias præbet Re-*
Sap.16 *gibus. Omne delectamentum*
Ps.15. *in se habens. Delectationes hic in finem.* Gustate & Videbitis, quam suauis sit Dominus. *Amici* (inquit Bernardus supra) *Sponsi, gustauerunt & plenissimè sunt experti quod diximus, ideoque mensam Altaris frequenter accedunt.* Quodsi Dei meminisse, cor viri Christiani dilatat ad gustum, *Memor*
Ps.76. *fui Dei & delectatus sum.* Quid non frequentia SS. Sacramenti? specialiter instituti in Christi memoriâ; dulcemque, ardentissimæ illius Charitatis in nos, commemorationem. Quid non cor hominis dilatet, repleat, gustu perfundat suauissimo? illa reciproca, Christi & Fidelis Animæ Commu-

municatio Communioque, non in amorem resoluat, ac delicias? *Deliciæ meæ esse cum Filijs hominum*. Fuerint ex verò reciprocè, Deliciæ hominum cum Dei Filio.

Quod si Vtili maxime ducuntur homines. Fructus ac Effectus frequentati SS. Sacramenti, cogita innumeros. Eos inde Metire. Deum toties accipis, & cum eo Omnia. Seipsum dat Amanti Animæ; secum autem omnia. Christi præsentia, semper Vtilis, fructuosa. Ingressus est donum Zacchæi, *& salus facta est*. Luc. 19 Domum Zachariæ ac Elisabeth, *& exultauit præ gaudio infans*, ab originali liberatus: Visitauit, & fecit Ioi. redemptionem plebis suæ. Domum Archisynagogi, &

Mar.9 *reuixit filia.* Petri, & *Socrus liberata à febribus.* Denique Bethaniam, & *su-*
Luc.6. *scitatus Lazarus.* Vbique *virtus de illo exibat & sanabat omnes.* Frequens ingressus, frequentes vtilitates, sanitates afferet multiplices. Integros fructuum ac vtilitatum libros huc non transcribo; passim prostant.

§. *I.*

Quæ ex Fide certæ sunt. Pauculis innuo.

VIta æterna, eiusque cum Felicitate consecutio; nonne Bonum est, quod Animam Fidelem sui desiderio trahat? & ad ardua etiam quæq; sui consequendi

di desiderio impellat?
Credis ne dicenti veritati? *Qui manducat hunc Panem viuet inquit in æternum.*

Quantum autem ad hanc vitam conferat, Frequenter hunc Panem manducare? vel ex Concil. Tridentino colliges: *Optante, vt Fideles sacra Mysteria ea fidei constantia & firmitate credant & venerentur; Vt panem (inquit) illum Supersubstantialem Frequenter suscipere possint, & is verè eis sit animæ vita, & perpetua sanitas mentis; cuius vigore confortati, ex huius miseræ peregrinationis itinere, ad Cælestem Patriam peruenire valeant.* Frequentia vsus confortat, vigorem tribuit, vt iter perficiatur, ac ad cælestem perueniatur Patriam. Nec mirum. Est

Sess. 13, c. 8

enim Panis hic Viaticum; ſeu vt inquit D. Thom. *Alimentum Viatorum ad Patriam*, cuius eſt: Viatorem ad terminum deducere. Idipſum adumbrante Manna illo, de quo filij Iſrael per deſertum, ſingulis fere diebus colligebant ad manducandum. Quod ſi Euchariſtiæ vſus, ſymbolum eſt illius æternę Communionis cũ IESV; vt innuit D. Dionyſ. Areopag. *In qua eundem Panem Angelorum quē modo ſub ſacris velaminibus Fideles edunt, abſque vllo velamine manducaturi ſunt, in æternum*, vt inquit Trid. Immo & aliàs Eccleſia dum ait orando: *Fac nos Domine diuinitatis tuæ ſempiterna fruitione repleri, quā pretioſi Corporis & Sanguinis tui temporalis perceptio*

q 79. a. 2.

De Hier. Eccl. c 3. bene ante finē Trid. ſeſſ. 13.

præ-

præfigurat. Vt ſymbolum, ſignum, ac præfiguratio æternæ communionis, cum temporali congruat; cùm æterna, futura ſit iugis, aſſidua, non interrupta fruitio; temporalis Perceptio, frequens ſit ſaltem, ſi non quotidiana, oportet. Quæ ipſa, cum certiores nos reddat æternæ illius fruitionis; vtpote *Confirmatio cæleſtis hæreditatis*: Quis non ſataget per Frequentem ſumptionem, certiorem reddere fruitionem illam ſuam æternam?. Euchariſtia: *Pignus eſt æternæ gloriæ*, teſtante Eccleſia ac orante: *O Sacrum Conuiuium in quo Chriſtus ſumitur, recolitur memoria Paſſionis eius, mens impletur gratia, & futuræ gloriæ nobis pignus datur*. Pignus autem datur eo fine, vt cer-

Anſel in 1. Cor. 11

tiſſimò perſoluatur res alioqui debita ; vnde pro morali Effectu certo & proprio , habet certiſſimam ſolutionem & exhibitionem debiti . Et non exhibeatur Gloria , hoc præmiſſo Pignore !. Gloria quidem Iuſtis debetur ratione Gratiæ : cæterum pro aſſecuratione quaſi , traditur illis (præſertim morti proximis) Euchariſtia . Certior , magiſque ſecurus eſſe vis ſolutionis ? Pignus ſtabiliter retine , vt Cælo exhibeas . Quotidie ſi Cælo exhibeas ; Quotidie certus eris ſolutionis illius , ac vitæ æternæ .

Quanquam & ex alio quoque Capite , Communicanti ſpes certior affulget vitæ æternæ . Non credo negaueris , Chriſto deberi glo-

gloriam æternam! Et Cómunicandi igitur. Quæris qua ratione? Vnum efficitur cum Christo, idque ad finem resurrectionis gloriosæ. Verba sunt Veritatis: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem in me manet & ego in eo. Qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam; & ego resuscitabo eum in nouissimo die.* Porro vnionem illam plusquam affectiuam, cùm ex similitudine viuentis & Alimenti (quæ duo tandem ad essentiam, seu naturæ vnitatem perueniunt) SS. Patres explicent, ac cum Chrysostomo exclament: *Vnum Corpus sumus & membra ex carne & ossibus eius. Vt enim non solum per dilectio-*

Io, 6.

Iren. l.5.c.2

Hō.45 in Io.

nem, ſed reipſa in illam carnem conuertamur; per cibum efficitur quem nobis largitus eſt. Id commodi frequenter communicantes conſequentur: Quod pluribus titulis Chriſto vniti, vnum corpus cum illo effecti, in illam carnem cui gloria debetur, toties conuerſi; pluribus titulis, vnionibus ac vinculis, cum Chriſto Gloriæ innodati, Firmiori eandem ſpe teneant, ac certius conſequendam. *Frequens vitæ participatio,* inquit Baſil. de Euchariſtia, *nihil aliud eſt, quampluribus modis viuere*. Dixerim ego: Pluribus modis cum Chriſto vnum fieri, eſt pluribus modis cum eodem cælum obſtrictum tenere, eique inſeri.

Ep. ad Cæſar.

Alios

§. II.

Alios quoque effectus, Vtilitates, & bona viciniora, viæque propria. Si requiras? Accipe:

1 NOnne vię ac peregrinationi nostræ nimis vicinum, ac ferè proprium est; puluere inspergi, obfuscari, debilitari, languere? Clarius eloquor: Quotidianis scatere defectibus, Venialibus adspergi maculis? *Iustus septies in die cadit.* Si, *qui dicit se peccatum non habere, mendax est*; Si cinis ac puluis sumus; ipsa exercitatione nostri vel motu, pulueres damus ac cineres. Nonne vero Quotidie, aut frequenter, ab his mundari Pro. 24. 1.Io. 1.

velles ! En modum præ multis alijs certiorem; quia Sacramentalem. Ipſam ſcilicet Frequentationem SS. Sacramenti.

Sess. 13. c. 7 Fides docet ex Tridentino. Quod SS. Sacramentum ſit *Antidotum, quo liberamur à culpis Quotidianis*. Mundari igitur deſideras frequenter? Frequenter vtere, ac manduca. Etiam hic Caro Christi verè eſt cibus. Sicut enim ab alimento naturali frequentato, reficiuntur quotidie iacturæ, & recuperatur id quod deperditur, aut quod minuitur frequenti & continua actione caloris Naturalis; eo quod deteratur vis aliqua conſeruatiua Viuentis. Ita per calorem Fomitis, ſeu deordinatæ Concupiſcentiæ, veniales

cul-

culpas paſſim inducentis; Minuitur Virtus & efficacitas Charitatis, non quoad ſe ipſam ac habitum (qui vel totus ſimul perit, vel totus manet), ſed quoad expeditum vſum ac promptitudinem, quam imminuunt peccata venialia: vtpote quę hominem minus dignum faciunt Auxilijs frequẽtibus (Sacramento alioqui ſpecialiter annexis) ad actus Charitatis frequenter exercendos, atque ad augendam & promouendam vitam ſpiritualem conducentibus. Has igitur iacturas & imminutiones, reficit, ac reſtituit SS. Sacramentum. Culpas nimirum veniales tollendo; idq; ſe ipſo immediatè, ſine vllis alijs diſpoſitionibus: ſola non complacentia ſibi in ijſdẽ pręſuppoſita. S. Th. q. 97. a. 9.

O

O quantum inde ſolatium! Quanta Quies Animabus, nitorem ac munditiam Cordis diligentibus! Sola frequentatione Corporis ac Sanguinis Dominici, frequentes ſuas maculas dum eluere, ſeque per Communionem vnam, alteri Mundas ſiſtere poſſe cogitant, vereque credere:
1.Io.1. *Quod Sanguis IESV Chriſti emundet nos ab omni peccato*; Saltem veniali.

Niſi & hoc ſolatium augeat: quod Eccleſiæ teſtimonio, Euchariſtia ſit

Ablutio ſcelerum.

Quo nomine, etiam grauia peccata veniunt. Adeoque SS. Communio & Sanguis Chriſti, non ſolum nos emundet à Venialibus, ſed etiam à Mortalibus. Non quidem ijs quorum habemus

mus conſcientiam; ſed ab ijs, quæ vel per obliuionem, alioque modo nobis occulta ſunt; vel quorum quidem Conſcij & confeſſi, ſed fortaſſe de ijſdem non ſufficienter Contriti ſumus. Hæc omnia tollit venerabile Sacramentum, D. Thoma & Theologis compluribus, id conſtanter affirmantibus. Q. 79. a. 1. ad 3.

Si igitur & Tibi (quod aliàs multum timoratis euenire ſolet) accidat, vt inſpecta etiam diligenter conſcientia, nullo grauiori occurrente peccato, adhuc tamen de occultis timeas; ideoque de indignitate tua ad frequentandam diuinam hanc menſam ſollicitus, accedere reformides: vel ex hac ipſa formidine, neceſſitatem Frequentandi tibimetipſi imponito. Certus, quod

quod occulta peccata non modo non officiant; sed & penitus, per sumptionem Corporis Dominici, deleantur. Vt adeo, tanto securior de venialibus, & de occultis mortalibus ex Anima penitus sublatis, certior esse possis; quanto Frequentius Communicaueris.

2 Sed & de Periculo, labendi in Mortale peccatum, Excidendi gratia diuina, Amittendæ vitæ æternæ; Nonne es solicitus? O nobis adsit Modus ac medium! quo procul ab hoc positi periculo, tanto certiores euadamus, vitæ æternæ consequendæ!

Ne procul quæras; Modus ac medium est, Frequētatio SS. Sacramenti. Audi Tridentinum: *Quo inquit liberemur à culpis Quoti-*

Sess. 13 c. 2.

tidianis. Et à peccatis mortalibus præseruentur. Edixerat iam ante Florentinum: *Omnem effectum; quem materialis cibus & potus quoad vitam agunt Corporalem; sustentando, reparando, delectando: Sacramentum hoc, quoad vitam operatur spiritualem.* **Sess. 25. in decr. Eug.**

Etiam hic Caro Christi vere est cibus, & sanguis eius verè est potus. Cibi corporalis est, vitam conseruare, & ab incursibus contrarijs eandem defendere; ac proinde à morte (quantum limites humanæ mortalitatis patiuntur) præseruare. Idque præstat sustentando, augendo, reparando, delectando: quæ fere, a Frequentato nonnisi cibo sufficienter haberi posse, in confesso est. O quam effi-

efficaciter? quam proportionate idem præstat Animæ, Caro & Sanguis Christi! Augendo nimirum ipsam Animæ vitam; & Voluptatem in bonarum actionum exercitatione, ac prauarum depulsione ingenerando. Dæmonis aut fugando præsentiam, aut Vires ipsius debilitando. Fomitem Concupiscentiæ coercendo. Vt mirum non sit, Effusis in Vitia, sæpe tanquam præsentissimum, à spiritualibus Viris Medicisque præscribi remedium; vt frequenter communicent, si resipiscere, ac continenter viuere velint: Alimenti huius (*Quod est frumentum Ele-*
Zach. 9. *ctorum, vinum virgines germinans*) Qualitates, per frequentem attracturi Vsum.

Mo-

Modum ac viam, Præseruandi à grauiori lapsu ac morte, si curiosius (eo fine, vt tibi certius persuadeas) inuestiges? . Melior si non occurrat; hunc accipe.

SS. Eucharistia cum sit verè cibus; non est nisi Viuorum per Gratiam. Cum sit Sacramentum; Confert Gratiam Iusto, proinde Augmentum Gratiæ. Itaque quo frequentius sumitur; eo maius ac maius augmentum Gratiæ. Iã, Nouo ac maiori augmento gratiæ, Noua & copiosa debentur Auxilia. idque ad Gratiam homini collatam, Integram conseruandam: Quandoquidem hæc, Tota nonnisi, non verò per partes, perire possit. Vt adeò multo felicius Cibus iste concurrat, ad conseruandam spiritualem

lem Animæ Vitam; quam Cibus corporalis. Hic enim si affert partem Vitæ Viuenti, plerumque supponit Partem aliam deperditam. Cibus verò Eucharisticus, affert Semper incrementum augmentumque Gratiæ, sine decremento Gratiæ. Et vitam proinde ipsam auget; quò Anima vitam habeat ac abundanter habeat: Et copiosos subministrat spiritus, adiungit subsidia, quibus defendatur ab extrinsecis, periculum intentantibus: *Sanguis Christi* (inquit Chrysostomus) *quamprimum ac repente Animam irrigat, vi quadam magna imbuit, & mobilitatem Animæ, (quam semper irrigat & nutrit) languere non sinit.*

Ho. 45 in Io.

Porro Auxilia subsidiaque

que illa, cum ſint ſanctæ Inſpirationes, illuſtrationes, guſtuſque quibus præueniutur Anima; proportionate ad Alimoniam, Eidem Animæ ingerunt ſuauitatem ac dulcedinem: Tum in rectis, ſpiritualibus, ac æternis ſecundum Deum Rationibus amandis: Tum in contrarijs, Mundi, Carnis, ac malis ſuggeſtionibus odiendis. Suauitate verò illa, vbi Anima delibuta eſt; prompte ad Bonum proſilit, malo reſiſtit. Eſt enim vt Ariſtoteles ait: *Mater operum voluptas*. Traditque D. Auguſtinus: Eſſe ingens gratiæ Beneficium; ſi in bonis agendis, & malis fugiendis, voluptas nobis ſenſum ingeneret. *Benedictio dulcedinis eſt gratia Dei, qua fit in nobis, vt delectet,* Lib. 2. ad Bonif. c. 9.

quod

quod præcipit nobis. Sicut proinde Cibus, ſpiritus ſubminiſtrando hoc pręſtat, vt cum oblectatione verſemur in Actionibus; quas deficiente alimonia, ægre ac languide ſuſciperemus. Ita Caro Chriſti ſubminiſtrans Auxilia, facit cum ijſdem nos delectabiliter operari bonum, & odiſse malum. *Sicut adipe & pinguedine re-*
pſ.62. *pletur Anima*: Vt labijs exultationis laudet, ſuis in operibus, dominum.

Quodſi præſeruatio à malis, plerumque obtinetur, magnam partem pugnando, & reſiſtendo ſuggeſtionibus diabolicis: Summopere ad hoc iuuat ac confert, Chriſti præſentia. Dignitatem præſentis ſi cogites; Quomodo te ad tam vilia & caduca quæ ſuadentur

tur , demittes ? Inſpicientem te, ſtantem in medio tui, tui ad auxilium Si credis ; quomodo non fidenter, quodcumque certamen cum hoſte ſubeas ? dicaſque cum Pſalte: *Si exurgat aduerſum me prælium* pſ.26. *in hoc ego ſperabo . Nihil* pſ.88. *proficiet inimicus in nobis , & filius iniquitatis non ap-* pſ.59. *ponet nocere nobis. In Deo faciemus virtutem , & ipſe ad nihilum deducet tribulantes nos . Sicut deficit fu-* pſ.67. *mus ſic deficiant . Quis nos ſeparabit à Charitate Chriſti? Exurgat Deus & diſſipentur inimici eius, & fugiant qui oderunt eum à facie eius . Fortitudo & laus mea dominus, & factus eſt mihi in ſalutem, &c. Tanquam Leones Ignem ſpirantes ab illa Mēſa recedamus , facti diabolo*

ter-

a Chry. *terribiles.* a.

ad pop ho 61. *Festinate igitur Frequenter ad Eucharistiam & gloriam Dei accedere.* (Omnes cohortatur ac monet S. Ignatius Martyr.) *Quando enim,* inquit, *hoc Assiduè agitur;* Ep. ad Ephes. *expelluntur potestates Sathanæ.* His expulsis: procul ab hoste, procul à periculo, adeòque de timore inimicorum nostrorum liberati; Luc. 1. seruiamus illi, in Sanctitate & Iustitia coram ipso, omnibus diebus nostris. Vt finaliter tandem cum Apostolo dicamus: *Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui: in reliquo reposita est mihi corona Iustitiæ.* 2. Tim. 4. Cuius pignus in Sacramento recipimus.

Plura si desideras? Quære. Et in fonte gratiarum, Omnia reperies: *Corpus Chri-*

Christi ægris est medicina, peregrinantibus via, debilibus fortitudo; valentes delectat, languores sanat, iracundiæ motus sedat, mansuetos efficit, ad laborem patientes, ardentes ad amorem, sagaces ad cautelam. Breuibus multa in vnum congessit mellisluus doctor. Quot bona tot illicia. Quæ si nondum trahunt; accendat & stimulet, Bonorum ac vtilitatum nostrarum studiosissimæ vox Sapientiæ: *Venite (in plateis clamitat) comedite. Mecum sunt diuitiæ & gloria, vt ditem diligentes me & thesauros eorum repleam*; Thesauro, in quo sunt thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei. Vnum tamen Monitos inquit velim: *Qui Mane vigilant ad me, inue-*

Scr. de Cœn. Dom.

Proui 8.9.

nient me. Intentos, ſolicitos deſiderat, ac Frequentes. O igitur, *anticipauerint Vigilias oculi noſtri*; omnique
ps.76. Mane, vel minimum frequenter, vigilemus ad fores Domus Dei, & obſeruemus ad poſtes oſtij ipſius. Inuenti enim, cum Corpore Filij eius, inueniemus Vitam; & cum ſanguine, hauriemus ſalutem à Domino. Quam liberaliter impertiet ijs, *qui præuenient*
Sap.16 *Solem ad benedictionem, & ad orientem lucis*, eum fideliter, conſtanterque ſumendo, *adorabunt*.

CAP. VI.

Retrahentia à Frequenti vsu SS. Sacramenti.

TRahimur omnes Bono. Trahit & sua quemque voluptas. Et non trahat Animam rationalem æterna Veritas? ad se, suique frequens inuitans ac alliciens consortium? *Venite, Accipite, Comedite, Hoc facite.* Quomodo non accurrerent! Non festinarent amantes Animæ! vel raptæ in odorem Primorum sæculorum; vel tractæ vinculis charitatis!

Sæpe tamen, etiam hic rem suam agit ille Vetera-

tor. Cuius inuidi sunt illa consilij: *Venite mittamus*
Ier. 11. *lignum in Panem eius*. Si quidem (vt exponit Hieronymus) se ipsum viuum Pa-
In Ier. 15. nem appellat, mittamus Crucem in Corpus eius. Crucifigamus panem hunc ligno; vt nimirum inde intoxicatus, ab vsu suo deterreat; vel comedentem occidat. Is igitur inquam: Ne diuinus hic Cibus in Frequentem vsum, nè in Quotidianum transeat Panem; Quæ non impedimenta ponit accedentibus, quæ non immittit Ligna! quas Cruces, linguasque persequentium! quæ non fingit pericula, obijcit terriculamenta? Vt vel omnino à frequenti vsu deterreat, vel eundem amarũ, insipidũ reddat, ac fastidiosũ.

Cæ-

Cæterum *Vincenti datur Manna*. Per ardua, ad Christi consortium Amantibus enitendum. Amor ignis est, cui hæc ipsa Ligna, fomentum dabunt; vt magis exardescat in amorosum Christi complexum. Apo. 2

Quanquam, quam cariosa, quam debilia! verbo, quam lignea sint omnia vt constet; attingere hic, ac pertentare leuiter aliqua, non oberit.

§. I.

Periculum Iudicij.

PRimum ac Palmare, quodque ad terrorem faciat; petitum est ex illis Apostoli verbis: *Qui indigne manducat & bibit, Iudicium sibi manducat & bi-* 1. Cor 11.

bit, non dijudicans Corpus Domini. Iam verò in Frequenti Communione periculum esse Iudicij, inde (inquiunt) constat. Quod nemo sciat, Vtrum dignus
Eccl.9 sit: *Nescit homo vtrum amore an odio dignus sit.* Nemo item sine peccato est. Immo omnes vere di-
Matt. 8. cimus: *Domine non sum dignus, vt intres.* Proinde à Frequentatione tam periculosa abstinendum, raro Communicandum.

Sed enim verò. Quis non videt? quam hæc leuia, quam in consulta terriculamenta. Quæ si quid virium habent; Non solum à Frequenti, sed prorsus ab Omni Vsu SS. Sacramenti auocant.

Sic enim ago. Qui vel semel indigne manducat,

Iu-

Iudicium ſibi manducat. Sed etiam in Vna ſumptione, periculum Iudicij (quia & indignę ſumptionis) hac qua dicis ratione reperitur. Quis enim ſcit? quod vel ſemel dignè accedat. Cum nemo ſciat, vtrum odio vel amore dignus ſit? Nemo ſine peccato. Semper verò dicimus: Domine non ſum dignus, vt intres. Proinde etiam à rariſſimo, immo & ab omni Vſu, prorſus abſtinendum eſſet. Cum tamen, non minus e contra horribile ſit, illud Chriſti: *Niſi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Io. 6.

Si igitur dictum Pauli, quempiam à Raro vſu SS. Sacramenti non reuocat; Nec à Frequenti, immo

nec a Quotidiano vſu reuocare debet. Veriſſimum quidem eſſe dictum S. Pauli, nemo eſt, qui dubitat. Verum tamen etiam eſt: In Frequenti Communione, Nullum reperiri Periculum Iudicij; quod non reperiatur in Vnica ſumptione.

Immo, minus periculum eſt in Frequenti Communione, planeque Nullum.

Quantum enim ad Dignitatem Sumentis; quæ adeſſe debet, *ne Iudicium ſibi manducet*. Cum Dignitas in præſenti Triplex cogitari poſſit. *Prima*: Quæ ſit Coæquatio perfectionum Sumentis & Sumpti. *Secunda*: Quæ ſit poſſeſſio quædam Virtutum in eminenti gradu. *Tertia*: Quæ ſit diſpoſitio quædam à Deo requiſita, ad mandu-

can-

candum Corpus Domini.

Clarum eſt, quod *Primi generis* Dignitas, ſicut impoſſibilis eſt Creaturæ; ita nec ab ea requiritur. Quam proinde, nec ipſa habere potuit Beatiſſima. *Secunda* verò, Ad euadendum Iudicium non requiritur, vt ſupra conſtitit. Et alioqui ordinariam Vitam agentes, defectu ipſius, à Communione perpetuo arcendi eſſent. *Tertiam* verò, Quiſque habere debet. Sed cum ea non alia ſit: Quam non ſibi conſcium eſſe peccati Mortalis, quod commiſeris; vel quod nondum ſis Confeſſus. Hoc ipſum Quilibet ſcire poteſt facile, facta Humana, Morali, mediocri diligentia, in diſcutienda propria conſcientia. Si enim facta ea diligentia,

cap. 2.

nihil occurrat menti ; licet reuera Peccatum aliquod occultum lateret in Anima, hoc Sumentem non redderet Indignum. Sed vel per dolorem, vniuersaliter de omnibus peccatis elicitum in Confessione; vel per actum Contritionis, extra Confessionem: Immo per hoc ipsum SS. Sacramentum eiusque sumptionem (vt cum D. Thoma supra, plures Sentiunt Theologi) tolleretur.

Scire igitur potes Moraliter (quod sufficit) Te non esse Indignum.

Immo quo Frequentius accedis; eò facilius ac certius scire poteris. Quo enim Frequentius quis Communicat; eo Frequentius se Probat, & dijudicat. Quo Frequentius se Probat ac

ac inſpicit ; eo melius ac expeditiùs ſcit Animæ ſuæ ſtatum. Qui autem Vitam viuens Communem, bis vel ter in Annum, Conſcientiam ſuam inſpicit ac Probat; Quantorum ipſum obliuiſci continget! quanta latere! Ideoque hi tales, Probatione longiore diligentioreque indigebunt.

Quotidie verò attentus ad vitam & actiones ſuas, Cautus ſemper ac circumſpectus ne peccet grauiter, Abſtinens etiam à grauioribus plerumque, deliberate ſaltem, committendis venialibus; Et ſi forte in aliquod Veniale incidat, grandi ſolicitudine vel remorſu continuò inquietus, in tantum vt etiam volentem ſui commiſſi obliuiſci, non ſinat Conſcientia; do-

nec vel per dolorem, vel per Confessionem, expietur. Hic inquam talis, procul dubio vel leui inspectione sui, scire potest Moraliter; ac etiam prudenter de se præsumere; quod si inspecta Conscientia nihil occurrat, se non Indignè (Quia sine conscientia peccati Mortalis) accedere. Vnde igitur periculum? Cur à frequentatione huius Mysterij, illi abstinendum iudices?

Eccl. 9 Illud quidem: *Nescit homo, vtrum amore an odio, dignus sit.* Vel intelligendum est, de odio vel amore, statuque Finali: vt ex re, sequentibus ibidem colligitur. Vel de Scientia supernaturali, per reuelationem sibi à Deo factam. Qualem Ecclesia pro auer-

ten-

tendo periculo Iudicij, à ſuis Fidelibus non requirit. Sufficit ſcientia humana, eaque Moralis, ex prudentibus (vt dixi) Coniecturis ac contingentijs orta.

Sine peccato autem Mortali, quiſque eſſe poteſt cum Dei auxilio. Licet omnia Venialia ſimul, euitare nequeat, ſine ſpeciali Dei auxilio: ſed hæc Iudicium non inferunt ex ſumpto in ijs Sacramento.

Recte tamen adhuc, & ex Vero dicimus accedentes: *Domine non ſum dignus, vt intres*. Quia (vt aliàs innui) Dignitas ad SS. Sacramentum percipiendum requiſita, Non tam eſt dignitas, quam non indignitas; Qua ſtante, adhuc ſe quis congrue vt par eſt, magis ac magis per virtu-

tum *actus*, & exercitia disponere potest, ac ex Conuenienti etiam deberet. Et in hac congrua dispositione, cum plerumque deficiamus; nec agimus quod Conueniens esset, ac possemus: recte ac ex vero nos *Non dignos* appellamus, fatemurque, nobis deesse Dignitatem. Non tamen nos dicimus Indignos; quod inferret, Nos non dijudicare Corpus Domini, Nec probasse nos; secus quam vere egissemus. Rectè

Ep. ad Frat. etiam D. Bernardus: *Dicimus, Domine non sum dignus: Non temeritate iudicandi, sed humilitatis reputatione. Sic & Paulus de se: Quorum, scilicet peccatorum, ego primus sum; non mentiendi præcipitatione, sed æstimandi affectione.* In-

ten-

tendimus, adhuc dicere: Non ſum dignus *Ex me*, quantamcumq; poſuero diſpoſitionem; niſi tua Miſericordia hoc modicum quod pono acceptare, & per gratiam tuam dignificare volueris. Quare *dic tantum verbo, & ſanabitur*, dignificabitur Anima. Certe ſi *non ſunt condignæ Paſſiones huius temporis ad futuram gloriam*: & tamen de hac ex vero dicit Paulus: *Quam reddet mihi, Iuſtus iudex*. Si item *cum omnia fecerimus*, verum adhuc dicimus: *Serui inutiles ſumus, quod facere debuimus fecimus*. Multo magis, Inutiles, Non dignos nos ex vero pronuntiabimus; cum non fecerimus omnia quæ potuimus, quæ congruenter facere debuimus.

Rō. 8.

2. Tim 4.

Luc. 17

Pe-

§. II.

Periculum idem vrgetur.

AT cum his omnibus, quæ dicta ſunt, adhuc in Scirpo Nodus, in Tuto quæruntur Pericula.

Ad Dignam (potius Non indignam) ſuſceptionem SS. Sacramenti; Probationem ſui, inſpectionem Conſcientiæ requiſiuimus. Ab hac ipſa Nouæ difficultates, Nouæ enatæ formidines; quæ à Frequentatione deterreant.

In hac ipſa (inquiunt) diſcuſſione probationeq; Conſcientiæ, adhuc negligentia committi poteſt; quæ periculum faciat Iudicij, ac indignæ ſumptionis. Propter eam igitur vitandam, a Frequentatione deſiſtendum.

dum. Ne autem (pergunt) prætendatur Magna Vtilitas, Bonum, ac Fructus Communionis ingens; propter quæ honestum sit, in aliquale sese immittere periculum, modo non sit certum ac euidens; sicut honestantur itinera, terra marique Bona quærentium. Ne hoc, inquiunt, prætendatur. Eadem (aiunt) commoda ac Vtilitates, haberi possunt Tutiori Via; Rarus licet sit Vsus Sacramenti.

Si requiras Qua via? Via inquiunt

Communionis spiritualis. A qua, cum omnia Bona æque sperari possint; Ipsa autem nulli periculo, quia nec discussioni; vel negligentiæ in ea committendæ subiaceat; Tutiora autem semper tenenda sint: Frequens

quens Sacramentalis Communio, Vt minus tuta est, ita laudabilis esse nequit. Ita illi. Sed hæc lignea, Igni non officiunt. Age enim?

Tantone opus erat rationum molimine! Vt euinceres etiam hic: Ne raro quidem, nè bis vel ter in Annum communicādum esse. Quomodo? Attende. Sumptio SS. Sacramenti etiam rara, adhuc eget probatione ac discussione sui. Hæc ipsa fieri potest cum Negligentia, proinde cum periculo Iudicij. Accessum etiam rarissimum, non honestabit Vtilitas Sacramenti: Quia per Communionem Spiritualem eadem haberi potest. Tutiora autem semper sequenda. Rara igitur, bis vel ter in an-

annum Communio, nec tuto nec laudabiliter concedi poteſt. Quid dices? neſcio.

Pro Sacramentali Communione, eiuſque Frequentatione, audio D. Bonauenturam. Cuius ſenſus eſt: Quod etiamſi *ſecurius* eſſet, Communicare ſpiritualiter quam Sacramentaliter; *Vtilius* tamen adhuc ſit, Communicare Sacramentaliter. Si igitur propter vtilitates non leues, honeſtè aliquale ſubitur periculum; honeſte quoque ac laudabiliter, ſancteque Frequenter communicabitur. Quod ſi Alios audire placet. dicent cum Adriano in 4. Non ſolum *æque*; ſed *magis tutum eſſe* Communicare Sacramentaliter, quam ſpiritualiter tantum. Qua ratione?

in 4. diſt. 11. q. 2.

Ediſ-

Ediſſerunt.

Illud inquiunt cenſetur minus ſecurum; vbi regularius accidit periculum detrimenti. Hoc verò magis contingit in ſpirituali, quam Sacramentali Communione. Frequentius enim quis accedendo; virtute ipſius Sacramenti (quod vocant ex opere operato) cum alioqui peccati reus eſſet, ipſius peccati veniam conſequitur potius, quàm ex noua ſumptione nouo peccato ſe obſtringat: Facta tamen humana, morali, mediocri diligentia, quæ homini (potiſſimum frequenter Communicanti; adeoque conſcientiam ſuam toties inſpicenti) & factu & ſcitu facillima eſt. Cum è contra ſpiritualis Communio, ea Vi remiſſiua carens; ho-

mi-

minem in occulto ſuo peccato ſi forte adſit, adeoque ſine fructu ſui, relinquat.

Quodſi autem aurem ac aſſenſum præbeas ijs, qui cum Tridentino, ad Communionem ſpiritualem fructuoſam, etiam merito requirunt diſpoſitionem, quæ ad Sacramentalem præmittenda eſſet; (quantum nimirum ad Conſcientiam immunem à mortali, fidem viuam, ac dilectionem.) *Aequale* vtrinque ſtatues adeſſe *periculum*. At inſuper, longe *Minorem vtilitatem* ſpiritualis, quam Sacramentalis Communionis, fateberis cum D. Thoma. Vt vel propter hoc ipſum, hæc illi iure præferenda ſit, ac frequentanda.

Sef. 13 c. 8.

q 80. a. 1 ad 3.

Quanquam his omnibus miſſis; ſicut non ſe culpabi-

bi-

biliter exponit periculo mortis is,qui remedia adhibet; ex quibus verosimili coniectura colligit,consecuturũ se sanitatem. Nec ille, qui se peritis creditMedicis. Ita nec ille,qui innixus consilio, periti vitæ ac conscientiæ suæ Magistri, ad Vitam accedit Frequentius. Ne quid amplius dicam: Plane te contendere vt euincas; Christum ipsum ac Ecclesiam, Fideles suos periculis vltro obtrudere, contra Charitatis ac Pietatis leges: dum Alios improuide (ex tuo sensu) celebrare iubet Frequenter. Alijs Frequentem Vsum iniunxit, vel ad minimum suasit, suadetque per Tridentinum toties repetitum. Cum alioquin (eodem tuo ex sensu) per Spiritualem
Ce-

Celebrationem , ac Communionem , eoſdem planè fructus, Vtilitates, ac bona, conſequi poſſet , quæ intendit : omiſſa reali Sacramentali .

Sed hac ipſa occaſione, pro meliori intelligentia, vt conſtet

CIRCA SPIRITVALEM COMMVNIONEM.

Quid ſit? Vtrum? & Quā frequenter inſtituenda?

Ad primum , Ex mente Doctoris Angelici ſic accipe : Quod ſit Deſiderium , procedens ex Fide per dilectionem . Seu Feruens ac efficax , diuinum hoc Sacramentum ſuſcipiendi votum ſeu deſiderium. Vel ſi mauis Ex ipſo Trident. ſeſſ.13. c.8. ſpiritualiter tantum ſumere illos, qui Voto propoſitum illum

3.p.q. 98 a.1 ad 3. & q. 68. in corp. a.2. ad 13.

3.p.q. 30.a.11

cæ-

cæleſtem panem edentes, Fide Viua quæ per dile-ctionem operatur, fructum eius & vtilitatem ſentiunt.

Feruens igitur eſſe debet, Fidei, Spei, & Amoris acti-bus imbutum deſiderium. Efficax quoque ſit oportet: hoc eſt, cum animo adhi-bendi media. Proinde ta-le, vt omnino paratus eſſet quis communicare Sacra-mentaliter, quantum ex illo: Verum quia ab hoc ipſo faciendo, rationabili aliqua cauſa prohibetur; Affectu ſumit, quod ore continge-re hic & nunc non datur. Et tunc locum habet illud: *Voluntas ſtat pro facto*. Quod ſi verò quis ſine ra-tionabili cauſa; ex mera deſidia, indeuotione, fuga alicuius difficultatis in ſe præparando, aut tepiditate, à

Sa-

Sacramentali susceptione abstinet; nec cum facile posset, media accedendi adhibet. Is, spiritualiter Communicare fructuose vix poterit. Cum desiderium efficax suscipiendi, non habeat. Quidquid sit, quod velleitas quædam adsit, dicique de tali possit: *Vult & non vult piger.* Prou. 13.

Ex his ipsis clarum est. Quod Modus Communicãdi spiritualiter sit. Excitare in se, feruens ac efficax desiderium, recipiendi Christum Sacramentaliter. Quod ipsum desiderium, cum ad Communionem Sacramentalem supponatur: Constat, quod Sacramentalis Communio, Communionem spiritualem requirat. Licet autem spiritualis Communio, fieri possit sine Sacra-

menti; fieri tamen non potest, nisi ab ijs; qui Mundo Corde sunt, hoc minimum sensu: quod affectum peccandi grauiter, posuerint. Cum enim Christus Sacramentaliter recipi non possit, nisi munda Conscientia; nec igitur, eundem efficaciter hic & nunc recipiendi (quantum est ex te) desiderium habere poteris; nisi vt pura Conscientia admittendum, per Actũ doloris (vt minimum) emundata. Velle enim, & paratum esse (quantum de se) Christum recipere, in, & cum affectu ad peccandum; peccaminosum foret.

Vtrum autem Consultum sit, Frequenter Communicare spiritualiter?

Dubium esse nequit scienti: Quod *desideria Pauperum*
Ps. 9.

rum exaudiat Dominus , & præparationem Cordis eorum audiat auris eius . Quò eosdem visitatione gratiosa , bonisque suis cumulet, ac iusta eorundem expleat desideria . Quibus eò profecit deuotus ille Christi famulus · Vt dum ore per infirmitatem non posset ; desiderio, Christum per ipsa viscera intro ad cor traxerit . Cum verò in hoc liberior sit Communio spiritualis , vt etiam frequentius in diem iterari possit . Ioan. Rho: orat. 17.

Minimùm igitur bis in diem vsurpabitur; Matutinis scilicet ac vespertinis horis, Prandio ac Cœnæ respondentibus . *Si enim* vt ait Bonau. *hanc horam , sumendo quotidie Corporali Cibo designamus , & si tunc occurrat necessaria aliqua occasio , ho-* de Myst Theol. c.3 p.3

ram illam præuenimus aut extrahimus, vt occasione finita Cibum sumamus: Magis erit rationi consentaneum, horam præscriptam habere; ad Spiritualem Animæ refectionem quotidie sumendam. Non enim decet, maiorem ancillæ quam Dominæ curam habere, & carnem præscripta hora frui conuiuio, animam sua fraudari. Cum etiam grauior sit Spiritus, quam Corporis necessitas. Sed hæc incidenter. Redeo ad propositum circa ea, quæ à Communione vulgo retrahunt.

Reue-

§. III.

Reuerentia.

SVmma Christi Dignitas (inquiunt) postulat; vt recipiatur cum Reuerentia, Timore, ac Deuotione maxima. Ab hac plerumque deficiunt frequenter Communicantes. Et ratio quidem in promptu est: *Nimia quippe familiaritas, sensim parit contemptum.* Quia familiares esse incipiunt Christo; eundem sumunt intrepide, minus accedunt reuerenter ac deuote. *Raritas, facit pretium ac reuerentiam.* Hæc igitur aiunt præeligenda. Sed audiant.

Hoc nẽpe est (iterũ exclamat Chrysost. *quod Vniuersa perturbat, Quia non mundi-* Ho. 5. in Ep. 1. ad Tim.

tia animi, verum interuallo temporis longiori meritum putas, ſummamque arbitraris Reuerentiam ac religionem eſſe, ſi non ſæpius cæleſtem illam adeas menſam. Ignoras, quoniam indigne accedere, etiamſi tantum ſemel fiat, te ſupplicio tradet; digne verò etiamſi ſæpe accedas, ſalutem inde conquires. At nos adeo ſtulti, &c.

Fateor, omni Reuerentia digniſſimum eſſe Dei Filium; ſed ſimul & Amore: qui quo perfectior eſt, eò ma-
1.Io.4 gis foras mittit timorem, ſeruilem maxime, pœnas metuentem ac flagella. Magna item Virtus eſt, Timor ac Reuerentia; ſed Maior
1.Cor. horum Charitas ac poten-
13. tior. Cumque ex Nimia Charitate eaque finali, ſe ipſum Chriſtus nobis in-

vſum

vſum ac Cibum propoſue-
rit; Amorem certè (cuius
eſt trahere, vnire, coniun-
gere) in ijs quæ hoc Sacra-
mentum concernunt, fina-
liter prædominari conue-
nit; Noſque allicere, manu-
ducere, frequenter vnire,
ac ſiſtere illi, cuius *deliciæ
ſunt eſſe cum filijs hominum*.
Quos vt tanto efficacius
traheret, alliceret fidentius;
eiſdem per omnia aſſimila-
tus eſt: *Habitu inuentus, vt* Philip 2.
homo. Nunquid autem
contemptibilior Chriſtus in
Bethania? quia eam reui-
ſebat frequentius? Aut in
domo materna Virginis?
quam inhabitabat aſſiduo.

*Familiaritas parit Con-
temptum*: Sed inter, & apud
Vulgus mobile; non apud
Prudentes, ſibique conſtan-
tes Viros. Vis ſcire Quare?

Vulgus plerumque capitur ijs, quæ hic & nunc non capit, nec cognoſcit aut comprehendit; ſuſpicit ea, quæ inuſitata aliqua ſpecie ſui, admirationem faciunt: admirationis autem mater eſt, Nouitas raritaſque. Rapitur quoque ijs, quæ deforis rem exhibent ac circumſtant. Quæ omnia, cum vel Frequenti, vel aſſiduo tollantur vſu; vel demum rem circumſtare deſinant: Hinc Vulgus Rem ipſam, Vt admirari; ita & ſuſpicere ac æſtimare deſinit. Prudentiores verò, Rem ex æquo (hoc eſt ſecundum quod ipſa eſt) maiorique facilitate cum penetrent, eiuſque perfectiones ac dignitates æſtiment: Quamdiu res eadem, ijſdem cum perfectionibus ſibi conſtat

ac

ac remanet, eandem de propè & de longè, de frequenti & de raro vſu, conſtanter retinent æſtimationem, exhibent venerationem ac reuerentiam. Non enim habent vnde minus æſtiment, Re eadem, iudicioque ſuo manente eodem.

Quodſi autem hoc ipſo non obſtante, inter homines Quandoque *Nimia familiaritas Contemptum pariat*; id ex eo prouenit: Quod mortalium nullus ita numeris omnibus abſolutus ita perfectus ſit; quin ſuum habeat niſi, ſuoque laboret defectu. Qui cum ſenſim ſe prodere ſoleat; per frequentem vſum ac familiaritatem (etiam vel maximè diutiſſimeque occultatus) tandem prorumpit & agno-

ſcitur ; atque opinionem
æſtimationemque de ali-
quo prius Conceptam, ma-
gis vel minus, pro defectus
ratione deterit ac immi-
nuit. Licet Sapiens, ad con-
temptum nunquam deue-
niat, ob qualeſcunque defe-
ctus. Cum nemo ſit, qui
ſine crimine viuat (*Si dixe-*
Io. 2. *rimus quod peccatum non*
habemus, ipſi nos ſeducimus
& veritas in nobis non eſt)
adeoque omnes habendi
eſſent contemptui ; & vel
maxime, ipſe Contemptor
omnium !

At vero, aduerte animũ.
Cum in Chriſto, omnis di-
Col. 2. uinitas Corporaliter inha-
bitet, vnà cum omni pleni-
tudine ac infinitate perfe-
ctionum omnium, idque
ſine omni defectu ac limi-
tatione. Vnde contemptus?

vn-

vnde iustæ æstimationis decrementum timeri possit? Immo vt magis æstimes, ames, ac reuereare hoc SS. Sacramentum, omnino frequentandum erit. Tenebantur oculi Discipulorum ne Dominum agno- Luc. 24.
scerent; æstimabant proinde sui similem, nec multum reuerebantur ceu Peregrinum. Cognouerunt postea, & simul reueriti sunt. Sed vbi? *In fractione panis.*

Inter alios certè huius diuini Cibi Effectus numeratur, ac frequens est ille; Quod interuentu magnæ ac inusitatæ lucis circa res diuinas, mentem claritate perfundat; verumque fiat illud, quod falso promissum fuit primis nostris Parentibus: *In quacunque hora co-* Gen. 3.

mederitis ex eo; aperientur oculi vestri. Iam verò, in ea oborta nobis luce, apertis sensim mentis nostræ oculis per orationem ac meditationem; Perfectionum Christi plenitudinem, maiestatem, diuinitatem, potentiam, dignitatem penetrantes: cum hæc tanta sint, vt ea animus capere non sufficiat. quæ non inde admiratio! quæ æstimatio! quæ reuerentia suborietur misello homini! cui se tanta communicare, infundere dignatur Maiestas Dei.

Tantùm abest, vt frequentatio huius Panis, contemptum pariat; vt venerationem potius cum amore adaugeat, reddatque sui Amantes (& se ex Amore frequentantes) reddat inquam multũ similes cælestibus

bus illis Spiritibus, qui cum Quotidie eidem assistant ceu Domestici, nihilominus velantes facies suas præ reuerentia, incessanter eidem, non contemptus, sed laudis occinunt Trisagion: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth. Apo. 4

§. IV.

Deuotio.

AFfine est Superiori, id quod sequitur. Nec maiorum virium. Culpabile inquiunt est, Operari ex consuetudine. Experimento verò comprobatum est; Quod ijs qui frequenter communicant, Communio transeat in Vsum & Consuetudinem, minoremque Cordis affectum. Ideoque mi-

minus deuotè, immo tepide accedunt plerique, ac inconsideranter; nec maiore sensu, quam si ad Communem accederent Mensam. Vitanda igitur potius frequentatio, quam inducenda; vt quæ deuotioni officit, ac noxiam inducit assuetudinem.

Plura hic dicta simul: quæ rectam prius volunt intelligentiam. Hinc ante omnia.

QVÆRO? Consuetudo bene operandi, est ne omnino Culpabilis ac noxia? penitusque proscribenda?

Si ita. Certè Beatissimam Dei Genitricem, ac S. Iosephum, *Secundum consuetudinem diei Festi*, vna cum Domino ad Templum ascendentes: Immo eundem Dominum, qui ibat se-

Luc. 2.

secundum Consuetudinem in Luc.
montem oliuarum , quem 22.
frequenter conuenerat . Om- Io. 18.
nem demum assuetudinem
bene viuendi, agendi, culpa
inuolues ac reprehensione.

Melius proinde fuerit: quàm rarissime Templa frequentare, orationis loca reuisere; bene viuere, operari, Deum inuocare rarissime. Cum tamen aliunde Scriptum sit: *Quodcumq; potest manus tua, instāter operare, & similia* a. Multoq; laudabilius sit ex Habitu (Quia firmiter constanterque) operari bene, quam rarò ac incidenter. Certe ex Habitu ac assuetudine male agere, blasphemare, &c. non exuit Malitiam; immo grauius reputatur, quam si id ipsum contingat ex subreptione rarissimè. Ita

Eccl. 9.
a Luc 18. v. 2.
Gal. 6. v. 9.

ex

ex aſſuetudine bene agere, non exuet bonitatem. Cum aſſuetudo, ſicut & Habitus, dent (vt innui) conſtanter & facile operari: facilem autem, promptum ac expeditum eſſe ad bene operandum, bonum ac optabile, laudabileque eſſe, quis negauerit? Igitur & SS. Euchariſtiam, ex More ac conſuetudine digne ac competenter recipere; nõniſi bonum, ſanctum, ac laudabile eſſe poterit.

Fateor equidem. Operari ac moueri ad aliquid, ex conſuetudine ſolius exterioris Operis, adeoque ex conſuetudine in hoc ſenſu: vt ſit idem, quod exercere opus aliquod Externum, ſeu applicare Potentias executrices ad aliquid, ideo tantum; quia hoc agere, ſic

ſic applicare conſueuiſti; ſine vlla intentione finis boni, ſine reflexione ac aduertentia adhoc: quid? qualiter, ad quem finem? quo profectu animæ fiat, &c. cum hoc non ſit humano ac rationabili modo agere; fateor inquam, non fore quoq; laudabile. At verò, faciliter ac cum promptitudine exercere actus bonos, facilitatos ex eo, quod eoſdem frequenter exercendò, habilitatem induxeris; hoc certè Habitum virtutis arguit, immo etiam perfectionem ipſius: ſicut facilitas operis ex Arte, perfectionem Artis, frequenti vſu inductam denotat.

Laudabile igitur eſt: ex conſuetudine bene agere, Frequenter communicare. Quidquid ſit; quod cõmunica-

care ex Consuetudine vulgo accepta (hoc est , ideo solum ad Altare accedere, & Eucharistiam sumere ; quia accedere soles , eamque externam exercere cærimoniam, sine omni aduertentia quid agas, quod Corpus Domini sumas; non dijudicans illud ab omni altero Pane, &c.) maxime reprehensibile esset,& dignum Iudicio . Quod sane , nonnisi in sui penitus oblitum ac immemorem , hominemque plane emotæ mentis, vel à sensibus alienatum cadere posse arbitror, vel in hypocritam infidelem . Animæ Fideli , vtcumque sibi præsenti dum accedit,haud dubiè occurret ; quod accedat ad Corpus Domini recipiendum : se proinde præ reuerentia ipsius , ad deuotio-

tionem, amorem, aliosque actus facile excitabit, præparabitque; vt Probatus, ac dijudicans, Corpus Domini sumat, idque non modo non Indignè, sed plane sanctè ac laudabiliter. Licet quandoque non cum eo excessu deuotionis ac feruoris, quo solent feruentiores, illuminatioresque alij. Quanquam, Deuotionis huius ipsius occasione, Insto ac

QVÆRO ITERVM.

Quomodo sequatur, ac verum sit? illud quod dicitur supra: Consueuit frequenter quis, probata ac discussa sua conscientia accedere: Igitur accedit minus deuotè.

Sicne Consuetudo boni operis, deuotioni officit, eamque tollit? Igitur & ipsa consuetudo ac frequenta-

tatio Deuotionis, deuotionem tollat necesse est. Cum tamen plerumque contrarium eueniat; vt assueti ad bona, assueti ad deuotionem, Meditationem, Orationem; magis deuote orare, dulciterque diffluere soleant; ac erumpere in actus & affectus tanto facilius, quanto frequentius eosdem elicientes, sese illis assuefecerunt. Hinc alij sic Habituati, & medias inter turbas, deuotissimè ad Deum aspirare, soliq; cum solo Deo agere visi; & per somnium deuote orare, suspirare illud: O IESV Deus cordis mei. Deus meus & omnia, &c. Tantum deuotionis addit consuetudo, ac frequentatio ipsius deuotionis.

Sed age videamus: Quid sit deuotio?

Ex

Ex Patrum ſenſu : A deuouendo, ſeu à totaliter ſubijciendo ſe Deo dicta· 2.2 q. 82 a.1
Eſt Promptitudo animi ad diuina, ad ſeruiendū Deo, faciendamque omnem voluntatem ipſius. Quæ ipſa promptitudo, in ardentiores Affectus excreſcens, dū per hos Anima in Deo, ac voluntate illius, ceu Bono ſuo ſuauiter conquieſcit; expletione ſui cor dilatat, ac exhilarat: indeque in Corpus exundante ſpiritu, pias ciet, ac exprimit lachrymas; Vt dici poſſit illud: Cor & caro mea exultaue- Ps 83.
runt in Deum Viuum. Ex eoque ſortitur nomen *Deuotionis ſenſibilis*; vtpote in ſenſum etiam exteriorem redundans. Cum ſine eo ſenſu, Adhæſionis vel promptitudinis animi ad Deum eiuſ-

eiusque beneplacitum, Deuotionis Intellectualis, interioris ac solidæ nomine, contenta sit.

Vtraque hac deuotione, quantum abundent ij qui frequenter Communicant: Testes sunt eæ ipsæ lachrymæ, ardentia suspiria; quæ à plerisque, cum teneri non possint, copiose funduntur. Vt vel ex ijsmet ipsis indicijs prudenter iudicare possis, eos ex Fide, & Christi amore, promptaque ad ei adhærendum voluntate, accedere. Quanquam, vtvt abesset sensibilis (de qua infra) deuotio. Rationalem, internam illam ac solidam, vel exinde colliges: Quod vocantem Christum, *Accipite*, *Manducate*, *Hoc facite*, multo promptius audiant ac sequantur; quam

quàm ij qui renuunt vel obluctantur. Promptiores etiam ad exequendam Dei voluntatem se sentiunt, ac sentire necesse est eos; Qui manducant panem illum, qui dat Vitam ac vires abundantes; Quique intus fouent Ignem, quo nonnisi ardere possunt, ac moueri.

Quidquid interim sit: quod & Raritas Communionis, aliquando sensibilem deuotionem secum trahat. Nam naturale est, raritate plus sensum excitari. Vnde homines, in locis ad quæ de Nouo, vel raro veniunt; passim plus deuotionis sentire solent. Cæterum, cùm ea ortum habeat à Natura; Naturalis illa (ex complacentia, gustu, & curiositate oblectante, profecta) deuotio, de se meliorem non red-

reddit hominem, nec digniorem. Et insuper, quia pendet ab extrinsecis; constans ac firma esse nequit: vtpote cuius radix non intus habetur, sed quæritur per suffragia mendicata. Sed quoniam Deuotionis mentio semel incidit; eaque est, qua complures vel inuitantur, vel eius defectu (ob quem se indignos reputant) à Communione retrahũtur: non inutiliter hic

QVÆRITVR.

Sitne expectanda sensibilis Deuotio adhoc, vt frequentius quis communicet?

Non meum etiam hic, sed D. Bonauenturæ affero sensum: *Non propterea, inquit ille, prætermittenda est sacra Communio, si quandoque non sentit homo specialem deuotionis gratiam, cum se*

Tract. de profect. Re. ll. 2

ſe ad illam præparare ſtudet, vel cum in ipſa perceptione, vel poſt, forte minus deuotum ſe ſentiat quam vellet.

Et verò cum ſæpe contingat, homines à ſenſibili illa, ac ſpeciali teneritudine animi impediri, ſine omni ſua culpa; immo ſæpe cum magno ſuo Merito: ſi in ipſius defectu, ſtent conformes ad Dei voluntatem; Non video quid ex defectu ipſius impedimenti accedat, ne Communicent. Sæpe homines confecti ſenio, fracti viribus, languentes Corpore, grauati curis & laboribus ſanctis; tantas vix ſperare poſſunt dulcedines. Quis tamen eiuſmodi, à frequentatione huius myſterij arceat? Dummodo ſe præparare ſtudeant, adhibeantque illa quę neceſſaria ſunt,

qualia ſunt diſcuſſio Conſcientiæ, Confeſſio ſi opus habeant; Oratio, Actus pij, Fidei, Spei, Charitatis; cum hæc omnia ad Dei gratiam diſponant, fidenter accedant & manducent.

Quid quod ſuauitas illa mentis ſuperabundans, ſæpe *ex magna Dei gratia quibuſdam negetur*; ad maius ipſorum bonum ac profectum. Valet enim plurimum, cum ad alias virtutes; tum ad Humilitatem inſerendam: Bernardo teſte
Ho. 1. ſuper Miſſus
homini adeo neceſſariam; vt ſine illa, nec Mariæ quidem Virginitas placuiſſet, nec Spiritus Sanctus ſuper eam requieuiſſet. Reſpexit enim Humilitatem Ancillæ ſuæ. Hac igitur opus habuit Virgo, vt Dei Filium conciperet; hac inſtructos eſſe con-

conuenit eos, qui eundem, sæpe in domum cordis sui recipiunt. Vide autem, quomodo Huic, ab ipsa sensibili deuotione quandoque periculum. Ii qui delicijs illis spiritualibus sensibiliter abundant ac diffluunt; Vix ita penitus Affectum suum depurare possunt, quin sibi (quæ naturæ, sui iuris tenacissimæ, imbecillitas est) quandoque in his ipsis animi sui sensibus vanè complaceant, circumspiciant oculis paulo elatioribus, ambulent in magnis his ac mirabilibus super se; putantes se esse aliquid, cum ex se nihil sint; ac meliores se reputent ijs, in quibus non aduertunt eam spiritus abundantiam. Vel etiam, quin ingeniosissimo sui Amore subtiliter acti; in

illa ipſa ſuauitate ac dulcedine, ſe ipſos quærant ac guſtus ſuos. Contingit enim quandoque eiuſmodi Deuotioribus; vt vel inaduertenter ſui Amantes, orationi, pietatiſque ſtudio inhæreant: non tam ideo quia Deo placet, vel ſaltem non ſolum ideo; ſed quia illis ipſis, in illa ſuaui oratione deuotioneque, benè, ſuauè, ac volupè eſt. Guſtentque libenter quam ſuauis ſit Dominus, non propter guſtum quem faciant Domino, ſed propter ſuum quem ſentiunt ipſi, edantque auidè, non quia ſanum, ſed quia dulce gutturi.

Remedium his malis (vel curandis, vel etiam præcauendis) prouide aſſumit Deus: Vel ariditatem, vt in multis Sanctis. S. The-

resia. Vel tentationes sat molestas: sic Paulo datus est stimulus Carnis, ne eum magnitudo reuelationum extolleret. Vel Tribulationes exteriores; quibus vix aliquis Sanctorum caruit ex illis, qui cælestibus fruebantur delicijs: quos inter & ipsa Dei Mater; cuius Animam doloris gladius pertransiuit. 2.Cor 12. Luc. 2

2 *Plura his similia vis afferam?*

Non raro per continuas illas Animi delicias, eo euadit homo; vt reddatur sibimet ipsi præfidens: cumque dispositioni, præparationi, applicationique suæ, videt adiungi liberaliter effectum illum gratiosum; putet eum labori, ac studio suo correspondere, deberi merito. Sui proinde esse

arbitrij vel virium, similem vel maiorem in se excitare, experiri deuotionis gustum. Vt igitur agnoscat infirmitatem suam, deuotionem autem esse donum Dei; subtractione ipsius (tunc cum maxime satagit, & sperat se fore deuotum) edocetur.

Valet quoque huiusmodi subtractio, ad salubrem incutiendum timorem Animæ, delicijs inescatæ. Quò sibi eo diligentius attendat; ne vitio suo, tam delectabili Bono hic & in futurum excidat ac priuetur. Ideoque hic quandoque æquanimiter gustet amara, vt mereatur ibi dulcia.

Prodest item, vt per fidem ambulantes, amplius Mereamur. Plerique enim illa suauitate dotati, magis

gu-

gustui ac experientiæ (circa Christi præsentiam) student inniti, quam Fidei.

Deinde, vt tam delectabile donum eo feruentius desideremus , acceptemus gratanter , cautius custodiamus acceptum . Cum Deus nolit paruipendi , & vilescere dona sua .

Demum vt experti, qualiter priuati illa gratia, continuo graues , remissi , & lenti euadimus : Non nostris viribus ac industriæ attribuamus ; quoties nos in bono promptos, & hilares in Dei obsequio reperimus. ac per hoc , procul simus à dijudicandis alijs , apparente eorum segnitie . Quin potius compassione ducti , pro ijs, ac pro nobis deprecemur Deum .

Adde quod in hoc , Dei

miſeratio ſæpe noſtræ prouidet intemperantiæ, ac indiſcretioni; ne ſcilicet dulcedinem illam ſectantes, eidemque nimium inhærentes, vires vltra modum, & irrationabiliter (vt quidam alij) conſumamus.

Non igitur defectus, aut ſubtractio ſenſibilis deuotionis impedit, quominus frequenter communices: maximè ſi ſubtrahatur, non tuo vitio ac culpa.

At vereor inquies, ne ſubtracta ſit ob mea peccata, ob quæ conſequenter, frequenti communione indignus ſim.

Si me audis: non de facili talem credulitatem tibi fingere debes; niſi ſufficienti motus ratione; Cum vt dictum eſt, etiam viris Bonis ac Sanctis, quandoque mul-

multis ex causis non donetur, vel subtrahatur. Verum etsi id crederes, non ideo statim Communio Frequens intermittenda: maximè si peccata diu prætèrita, confessione essent deleta. Sed potius solidæ deuotioni insistendum, & præmissis ijs quæ Communio requirit, fidenter accedendum. Et verò si adesset sensibilis illa deuotio, teneritudo, ac lacryme; Nonne accederes? Ita certè. Fidenter igitur accede, etiam sine illa; modo adsint alia necessaria.

3 *Impulsum adhuc requires?*

Vel putas, quod sensibilis illa deuotio, semper magis dispositum reddat ad Sacramentum, vel magis securum?

Nonne quandoque, im-

mo & sæpius contingit (experientiam appello) inter homines; vt zelosi alicuius Prædicatione commoti aliqui plangant peccata sua, miserumq; suum agnoscant statum; Nec tamen peccatis planè renuntiant, aut occasiones proximas dimittant. Nonne Dulciter alij afficiuntur ad orationem? & tamen oderunt proximum. Lacrymas fundunt? & aliena retinent. Cælum dulciter aspirant? & inordinata Mundi non deserunt. Quod si ea deuotio istorum, signũ est inexistentis Gratiæ sanctificantis; quomodo peccatum, peccandique voluntatem compatitur?

Sciendum itaque, Ex Asceticorum doctrina. Affectus huiusmodi, aliquando venire præter Gratiam, Ali-

quan-

quando cum Gratia, licet non ex Gratia. Aliquando ex ſpeciali Dei gratia, & dono ipſius liberali.

Nam cum & Gentiles, quandoque in Ritibus ſuis lachrymas fundant, & ad eos cordialiter cum teneritudine afficiantur; Nemo dubitabit, talia etiam præter gratiam euenire poſſe, immo & ex deceptione ac illuſione dæmonis. Cum Gratia, non tamen ex Dei Gratia ortum habere cenſuerim motus illos, qui cientur in animis quorundam Bonorum, maxime Simplicium; dum ex cantu ſuaui ac deuoto, connaturaliter in dulces prorumpunt affectus & ſuſpiria.

Ex Gratia Dei, deriuo illud donum lacrymarum, quo multi Sanctorum fue-

re celebres ; Feruentiſſimos quoque & ſuauiſſimos eorundem affectus, ex motiuis mere æternis, ac ſupernaturalibus. Ac vniuerſim: Quoties vel ſine præuia naturali diſpoſitione, vel ex copioſo diuinæ lucis radio circa veritatem æternam, Deique bonitatem inardeſcit Amor; vel circa peccata deteſtatio ſuauiter animum illabitur, diſtinet, ac exſatiat; Dei donum eſſe ne dubita. Sicut etiam, quando poſt longum diuturnumque exercitium Virtutum, ſubactis vitijs, mens pace ſua fruitur; ac ſpiritus dulcedine, in orando, meditando, perfunditur &c.

Ep. ad Fratr. vltra med. is *De quibus*, placet audire Bernardum: *Nunc quidem inquit, puræ Orationis affectus,*

ctus, & bona illa Orationis suauitas non inuenitur, sed quasi inuenit eum non petentem, non quærentem, non pulsantem, & quasi nescientem gratia præuenit; & tanquam genus seruorum, recipitur Filiorum in mensa, cum rudis adhuc & incipiens animus in eum orandi assumitur affectum, qui pro præmio Sanctitatis reddi solet meritis perfectorum. Quod cum fit, agitur; Vt vel hìc in iudicium suum non liceat scire negligenti, quid negligat; vel vt prouocatio charitatis, amorem in eo gratiæ se vltro offerentis accendat. In quo (proh dolor) plurimi falluntur; quia cum pascuntur panibus Filiorum, iam se esse Filios arbitrantur; & deficientes vnde proficere deberent, ex visitante gratia eua-

euanescunt à Conscientia sua, arbitrantes se aliquid esse, cum nihil sint; & de bonis Dei non emendantur, sed indurantur, & fiunt de quibus Psalmista dicit: Inimici Domini mentiti sunt ei, & erit tempus eorum in sæcula, & cibauit eos ex adipe frumenti, & de petra melle saturauit eos: pascuntur enim à Deo Patre aliquando, de pretiosiore gratiæ substantia serui, vt affectent esse Filij; ipsi verò abutentes, efficiuntur inimici, &c. Ex quo iterum.

Colligis: aliquos præueniri Gratia Dei suaui ac repentina, qua ad Deum (à quo alieni sunt) pertrahantur; ipsi autem sibi adblandientes, in ea ipsa euanescunt; seque iam putant esse Dei Filios, cum non sint. Si Dominus nos vel-

let occidere, de manibus nostris holocaustum & libamenta non suscepisset, aiebat vxor Manue. Isti similiter: Si non essemus Filij Dei, non daret nobis Deus hunc Cibum Filiorum. Ignari: quod detur ipsis, non quia Filij sunt, sed vt Filij fiant. Quod si se probarent, ac conscientiam suam inspicerent; deprehenderent se affectu esse seruos peccati, & mancipia Mundi. Iudic. 13.

Quandocunque igitur non adest Testimonium Conscientiæ, *quod est gloria nostra*, vt ait Apostolus; tunc huiusmodi dulces affectus, accipi quidem possunt pro signo diuinæ Bonitatis, Nos ad se, & statum Filiorum suorum, à delectationibus Mundi, per hasce spi- 2. Cor 1.

ſpirituales ſuauitates prouocantis. Velle tamen ex his Concludere: ſe eſſe in gratia Dei, ac digniorem ad recipiendum SS. Sacramentum quam aliàs; error eſſet inſignis, ac deceptio.

Si autem adſit Teſtimonium Conſcientiæ, ſeſe probantis Animæ: tunc ex ſignis talibus, de Statu Filio-
1.Io.3. rum *fiduciam habentes*; ad augmentum Gratię, per frequentationem diuinæ Menſæ, par eſt contendere ac eniti.

Vt proinde multo melius ac ſecurius ſit, Interioribus, rationalibus Gratiæ ſignis inſiſtere; quam iſtis ſenſibilibus. Porro illa ſunt, vt iam alias innui: Deteſtatio ac odium peccati, Appretiatiuus Amor Dei ſuper omnia, Vilificatio

ac

ac exinanitio ſui, Reſignatio ac æquabilitas animi (in omnibus, quæ nobis illius permiſſu euenire poſſunt, vt ſuſtineamus; vel ſubtrahi vt careamus) deſiderium cæleſtium, Exercitium virtutis, Mortificatio hominis interioris & exterioris, Diligens cura euitandi peccata etiam venialia. Hæc & ſimilia ſi adſint; abunde deuotionis, abunde Conſolationum eſt, & quidem ſolidarum, ſtabilium, ſubſtantialium; Quia Intellectualium. Talia enim nunquam conſtanter haberi poſſunt, ſine diuina dulcedine. Quia vt ait D. Auguſt. *Nunquam expugnaretur amor temporalium, niſi aliqua ſuauitate æternorum*; nec eſt reputanda praua dulcedo, per quam redduntur amara & vileſcunt

6. Muſic. c. 15

cunt

cunt omnia delectabilia huius Mundi, & omnia eius pænalia dulcia fiunt, vel leuia & tolerabilia.

Pro hac, simpliciter instandum apud Deum. Sensibilis verò illa deuotio, non tanquam omnino necessaria; sed tanquam conducens ad facilius vincenda aduersa, contemnenda sæcularia, sub conditione petenda à Deo, si & in quantum expedit Dei gloriæ ac nostræ saluti: *Non mea sed tua Deus fiat voluntas*.

Et quidem si concedatur à Deo, recipienda cum omni actione gratiarum. Non tamen nimium confidendo vel exultando; sed trahendo eam in spem vitæ æternæ, cogitando: quod siquidem Deus hic nos degustare facit cælestia;

ibi

ibi nos ſatiaturus ſit ac potaturus torrente voluptatis.

Si verò negetur: non ideo triſtandum, aut cadendum animo. Dummodo adſit prima illa, ſolida, Intellectualis deuotio; quæ ſi tollatur, Deus deſipiat, & ſapiat Mundus.

Solida hac, contenti fuere Sancti. Senſibilem illam plurimi eorum ne guſtauerunt quidem. Vt de illa vſurpare liceat illud, quod Bernardus de Vnione (vt vocant) Myſtica aſſeuerat: *Multi inquiens tota vita ſua tendunt, & nunquam pertingunt ad eam.* Serm. de Circumci.

Velle itaque ad Sacram Communionem accedere rarius ideo; vt ad eam ſuauitatem pertingas, ac deguſtes; eſt tantumdem facere: ac, tertio quoque vel octauo

die

die tantùm, cibum ſumere; vt aliquem ampliorem guſtum ſentias, quam ſentires quotidie manducando: guſtui ſeruiens cum diminutione etiam virium ac languore, præpoſtero ſane modo ac ordine; cum guſtus ſubſeruire debeat vitæ ac viribus, per alimentum conſeruandis: Quibus etiam per Inſipida, ſi opus ſit, conſulendum eſſet. Niſi illud ſolum Quod ſapit, nutrire credas. Quanquam etiam ſic, vera ac ſolida illa deuotio (quæ ſapor Animæ eſt) frequenti ſumptione Corporis Dominici creſcit, ad guſtum. Cumque ad ſaporem faciant condimenta, condimentum autem optimum ſit fames: Hanc ipſam, ex frequentatione SS. Euchariſtiæ creſce-

ſcere experientia docet; ac Scripturæ oraculum: *Qui edunt me inquit adhuc eſurient, & qui bibunt adhuc ſitient*. Ipſa frequentia famem ciente, ac deſiderium. Eccl. 24.

Secus quam in Corporalibus cibis euenit. Qui (ſi Gregorio fides) cum non habentur, grande in ſe deſiderium accendunt; cum verò habentur, protinus in faſtidium per ſatietatem veniunt. Econtra ſpirituales cibi; qui cum non habentur, faſtidio ſunt ac contemptui; cum vero habētur, deſiderio. Sicut igitur per SS. Sacramentum, ordinarie (niſi ponatur obex) augetur deſiderium ſpiritualium; ſic per abſtinentiam, ſapor & guſtus interior minuitur. Vt ſenſim nec guſtare quidem libeat cum deuotione, quod ob

ſum-

ſumptionis raritatem, ſumendum venit cum horrore.

Sæpe manduca, & guſtum ſenties. Senſibilis ſi abſit; Intellectualem habebis: Qui ſolus ſufficit ad ſalutem.

§. VI.

Exempla Sanctorum.

SI Bonum ac Sanctum eſt, Communicare frequentius. Cur id Eccleſia non præcipit? Cur viri alioqui Sanctiſſimi, eam frequentationem, quæſitis etiã medijs, deuitarunt?. S. Marcus Euangeliſta, pollicem manus ſuæ abſcidit, ne ſacris initiaretur. S. Franciſcus Aſſiſias, Sacerdotium refugit. D. Benedictus

per

per multum temporis non Communicauit. Hos & similes alios allegant, qui à Frequentando retrahunt.

Audio. Sed & simul interrogo: Si Bonum est homini sano ac valenti, quotidie aliquid Cibi sumere; Cur id lex non præcipit? aut cur viri alioqui Sanctissimi, sui studio macerandi, à quotidiano abstinentes cibo; tertio demum vel quarto die, modicum degustarunt? Exempla Anachoretarum, aliorumque, tibi occurrent facile.

Pergamus tantillum. Si bonum est non nubere, 1. Cor
sed sic manere, iuxta Apo- 7.
stolum; cur id lex non præcipit? aut cur viri etiam Sancti, ad nuptias transierunt? & inter Coniugatos

enim

enim Ecclesia numerat Sanctos. Si bonum est quotidie deuotè interesse Missæ Sacrificio. Cur id Ecclesia non præcipit? aut cur aliqui Sanctorum, procul ab Ecclesijs in Eremum secesserunt? Sit & hoc Politicum. Si Bonum est tibi, habere amplas possessiones ac Bona, Dignitates, Magistratus in Repub. Cur id Resp. tibi nō pręcipit? aut cur Viri pręstantes, ijsdem se abdicarunt laudabiliter? Demum. Si Bonum est (vt quidem contendunt) raro Communicare, raroque ad mensam Domini accedere. Cur id Ecclesia non præcipit? aut Cur tot tantique viri Sancti, frequenter communicarunt? & cur vt frequenter communicetur, optat, suadet, monet Ecclesia!

Quæ

Quæ quidem præcepit: Vt minimum ſemel in annum Fideles communicarent: verum hoc non eſt præcipere, vt raro communicetur; ſed præcipere, ne minus fiat. cum ardenti deſiderio, vt fiat amplius, adeoque vt communicetur frequentius.

Ad hæc omnia (niſi fallor) horum aliquid repones. Quod ad illa Bona, quæ non ſunt neceſſaria ſimpliciter, ſed ſolum ſunt ad melius & commodius eſſe; Præcepto nemo obligetur: ne eo ipſo euadant ſimpliciter neceſſaria. Relinquuntur igitur libera; vt induſtria locum habeat, ac pro ſe cuiuſque ſtudium.

Vel quod, cum omne Bonum ſit attractiuum; maius & amplius Bonum, magis ac potentius ſit at-

tractiuum; ſui proinde ad deſiderium, impulſu legis non egeat. Vt enim omnes naturaliter ſcire; ita & Bonis abundare appetunt. Eccleſiæ etiam Præcepta, cum Bonum Fidelium ſpectent: attenta autem tepiditate & fragilitate modernorum temporum, Præceptum de Frequenti Communione, facile futurum erat in ruinam & in laqueum, occaſionemq; multarum paſſim tranſgreſſionum; Hinc pia Mater eaſdem ſubmotas volens, Indulſit: vt ſemel minimum in annum Communicaretur. Quid quod homo bene ſanus, præcepto non indigeat, vt quotidie cibum ſumat; ipſo ad id ſtimulante Appetitu & Natura. Lex item non eſt poſita Iu-

ſtis.

ſtis. Qui cum amore ducantur, vt ea quæ Deo placere norunt frequentent; audiuiſſe ſufficit: Hoc facite in mei commemorationem. Præcepto proinde non indigent ſtrictiore.

Quod ad Exempla Sanctorum attinet: *Diuiſiones ſunt gratiarum, idem autem ſpiritus*. 1.Cor. 12. Qui in quibuſdam Seruis ſuis has determinate, in alijs aliàs, poſterorum ad memoriam commendare voluit Virtutes. In Tobia patientiam, in Abraham Fidem, in Iob æquanimitatem, in Paulo zelum. Nec quia in Tobia magis conſpicua patientia; minus laudabilis ea, quæ in Paulo enituit Charitas: *Quæ horum maior eſt*. 1.Cor 13. Vel quia prædicabilis in Centurione humilis reuerentia, ex qua

ſe indignũ reputauit Chriſti præſentia; Non æque laudabilis ac fructuoſa, Zacchæi in recipiendo alacritas, quæ audire meruit: Hodie huic domui ſalus facta eſt.

Venerabilis eſt S. Franciſci Humilitas (nam relatum de S. Marco Euang., fabellam cenſet Baronius ad Ann. 45. vtvt verum ſit de quodam Marco Anachoreta) qua Sacerdotalis officij dignitatẽ recuſauit. Sed æſtimabilis etiam S. Caſſij Epiſcopi Narnienſis deuotio. de qua S. Gregor. *Quod*
4. Dial *quotidianum Sacrificium Deo offerre ſolitus*; Domini approbantis mandatum acceperit dicentis: Operare quod operaris, non ceſſet pes tuus non ceſſet manus tua: natali Apoſtolorum ve-

nies ad me; & retribuam tibi mercedem tuam. Vt factum est. Nam septennio post, ipso Apostolorum die, cum Missarum solemnia peregisset, migrauit ad Dominum.

Accedit, quod etsi dicti Sancti, præeminentiam Sacerdotij recusarint; adhuc tamen S. Franciscus (vt erat religiosissimus) frequenter Eucharistiã sumpsisse censendus sit. D. Benedictus abstinuit fateor, quamdiu procul ab hominibus agebat in solitudine: at regressus ad Cænobium, frequenter hoc Cibo vsus fuerit, quo moriturus tam pie ac religiose refici voluit.

Vtvt sit. Exempla quorundam Sanctorum, magis miranda quam imitanda. Nec quia ipsos deduxit Do-

minus in Via mirabili; ideo minus tuta fuerit, Communior Ecclesiæ, ac magis trita ad Frequentem Communionem Via. Hanc tu ingredere: & cum tot Sanctorum millibus, Frequenter accipe; & manduca cibum, in cuius fortitudine peruenias ad montem Dei.

§. V.

Scandalum.

PEtra scandali est quæ sequitur. Qui sæpe Communicantur (inquiunt), raro sanctificantur. Videntur enim parum proficere in melius, sæcularibus immersi curis, ac sectari ea quæ Mundi sunt: æque ac alij, qui raro communicant. Cum tamen deberet mutare

tare

tare vitam (inquit Augustinus) qui vellet accipere vitam.

Assentirer, nisi contrarium probaret Experientia: Eos scilicet, qui ex fide & deuotione hæc sacrosancta frequentant mysteria; vitam aut mutare in melius, aut in vita Gratiæ constantius conseruatos, dignam Christiano homine viuere vitam. Quod si in aliquibus contrarium vsu venit: eos non ex Fide, & Charitate; sed aliquo vano motiuo, accedere crediderim. esseque è numero illorum, de quibus Apostolus: *Ideo inter vos multi imbecilles & dormiunt multi*. Quia non probant semetipsos; non dijudicant Corpus Domini, non manducant vt Cœnam Domini ex amore, in com-

1. Cor 11.

memorationem Domini; ſed in vanitatem, & inſanias falſas hypocriſeos, humanique reſpectus.

Demus autem, quod & Accedentes cum Fide, ac Probati, quandoque relabantur in peius. Certe obſeruabis, id contingere rarius, & eos quidem ſurgere velocius; vel ipſa monente ac ſtimulante communionis Frequentia. Ad quam, ne indigni accedant: ſeipſos probare, pœnitere, confiteri coguntur ad veniam. Quo ſtimulo quia carent ij, qui raro communicant; hinc ſemel collapſi, ſuis plerumque hærent in immunditijs, peccata peccatis accumulant, ſui pariter ac diuinæ amicitiæ immemores: donec vel annuæ Communionis præcepto,

pto, vel irruente aliquo damnationis periculo commoniti, redeant ad cor, & ad pœnitentiam.

Quanquam, nunquid ideo ſtatim euadunt confirmati in gratia, qui & quia Frequenter communicant? Nunquid hominem (qui ad malum ſemper procliuis eſt) exuunt? Nunquid non lapſus Petrus eà ipſa nocte, qua Communicatus à Chriſto? Nonne & alij relicto eo fugerunt? Hæc omnia ſunt imbecillitatis humanæ indicia! Lapſibus tamen ipſis aliquando erudiantur, vt ſeipſos norint, ſeque humilient; atque ex caſu, alacriores, feruentiores, cautioreſque euadant.

Mar. 14. Matt. 26.

Sed Age: Nunquid quia frequentantes cibum corporalem, quandoque ex con-

tingenti extrinſeco (aura, mala, contagione aliqua, afflati) languent;concidunt, moriuntur; ideo non vtilis, non fructuoſa cibi Frequentatio ? . Vel quia plerique, conſtitutionis ac temperamenti magis calidi , Frequenter cibo vtuntur, nec tamen ad apparentiam impinguantur ; ideo non ſalubriter pane veſcuntur quotidiano ? Suffecerit credo, quod vires ac vitam viuidam, Frequenti conſeruent cibo ; alioqui penes inediam, vehementia caloris conſumendi.

Grandis vtilitas (ſi alia deſit) a frequentatione, Corporis & Sanguinis Domini: Sic ſtare in Domino. raro vel nunquam fere, (per cõſenſum in peccatum mortale) excidere vita Gratiæ.

tiæ. Quod vt in ſe experiuntur ij, qui frequenter Communicant; ita facile quoque conſtabit ijs, qui ſaluti Animarum intenti, earundem norunt Conſcientias.

QVANTVM ad negotia curaſque ſæculares. Si quidem eæ ſint tales, vt honeſtati non repugnent ac conſcientiæ; nec nimium ſaltem, ab ijs quæ ſpiritus ſunt auocant: Tales non impediunt nec inhabiles reddunt, quin in eiuſmodi hominibus (etiam ſimplicibus, & uulgi opinione abiectis) Deus ſibi dignum faciat habitaculum: *Cum ſimplicibus ſermocinatio eius.* Prou. 3.
Et reſpicit ad pauperculum & contritum ſpiritu. Iſ. 67.

Procul igitur à Frequentatione ſcandalum. Quod

magis infert Raritas. Audi Cyrillũ alicubi: Recuſatio (inquit) huiuſmodi, quamuis ex religione proficiſci videatur; & ſcandalum facit, & laqueos inſtruit. Ne verò de ſenſibili apparentique fructu, in exteriori vita ac moribus frequenter communicantium, ſollicitus ſis, eumque requiras curioſius: Accipe moderamen ex hac (ſi placet) ſimilitudine, ac lumen: Quemadmodum aliàs Corporalis cibus nos alit, etiamſi non ſentiamus; ita & Euchariſtia quandoque non ſentientibus, gratiæ augmento, & multorum munerum copia, diuinitus Animam reficit atque corroborat. Panis eſt, cuius Finis ac Effectus Primarius eſt: Alere ad vitam. Hanc plerumque in frequenter

Com-

Communicantibus reperire eſt. Et merito: Eſt enim Panis vitæ quem ſumunt. Vitæ autem frequenter participare, non eſt aliud omnino (inquit Baſilius) quam frequenter viuere. Cumque vita Animæ, ſit Gratia ſanctificans; frequenter viuere, erit frequẽter ſanctificari; frequenter communicare, erit frequenter viuere. Vt omninò ac ex vero Concludas: *Qui frequenter Communicantur, frequenter conſtanterque ſanctificantur*.

Ep. ad Cæſ.

CAP. VII.

Frequentatio SS. Sacramenti, Abstinentiæ præferenda.

BOnum, Sanctum, ac laudabilem esse vsum Frequentem SS. Sacramenti; Constiterit ex dictis hactenus. Per quæ tamen vt non euincitur; ita nec intenditur, Reprehensio aliqua eorum, qui Raro Communicant. Constat enim, quod exceptis quibusdam Circumstantijs, in quibus ex mente ac sensu Doctorum, quis de præcepto Communicare tenenetur; in reliquo, quibuscunque alijs temporibus, Quis-

Quiſque libertate ſua vti, ac liberè liciteque à Communione Abſtinere poſſit.

Quid tamen interim Homini (exiſtenti in eo ſtatu, ac tempore, in quo laudabiliter Communicare poſſet) Conducibilius? quid præeligibilius ſit? Abſtinere, an Manducare!

Quærunt paſſim aliqui. Concludendum ego relinquerem alijs: Niſi iam, poſt rem mature diſcuſſam, Concluſiſſet Doctor Angelicus. Clare ac palam

Edicendo: *Simpliciter loquendo, melius eſſe ſumere, quam Abſtinere*. Immo etſi ſumptio comparetur cum abſtinentia ex reuerentia, *adhuc (inquit) inuenitur præualere ſumptio Sacramenti abſtinentiæ: tum ratione effectus Sacramenti, tum ratione præ-*

in 4. diſt. 12 a. 2. ad 3 & vlt

præparationis quantulacunque sit, tum ratione virtutis elicientis actum. Sumere enim videtur esse Charitatis, in qua radix meriti consistit; abstinere timoris. Amor autem Timori præualet. Sensum tanti Magistri credo venerabere, & non inuitus Praxi comprobaueris.

Quid enim? Abstinentia, nõne est omissio vel priuatio? Bonitatem igitur ac Esse, non habebit de se; nisi forte petitum aliunde. Communio vero, nonne de se est sumptio? participatio, Corporis & Sanguinis Domini? Et non fuerit de se Bona? Melior igitur, quam Abstinentia: Si melius est bonum de se, quam quod aliunde tale.

Sed omissio (inquies) ex Reuerentia, humilitate, ac ti-

timore Dei, nunquid non eſt bona ac laudabilis? Non diffiteor. Adhuc tamen melior ac laudabilior eſt, Ex Chriſti, eiuſque Sanctiſſimæ voluntatis, deſiderijque ipſius explendi Amore; ex Gratitudine item ac religione, qua ipſi obſtricti ſumus, ob immenſa beneficia, per paſſionem ipſius in nos collata; ex grandi demum fiducia de pietate ac bonitate ipſius; nec non ex ſuaui confidentia, ad quam nos cum tanta benignitate prouocat illis ſuis: *Confide Fili, remittuntur tibi pecccata*. *Confidite quia ego ſum*. *Confidite ego vici Mundum, &c.* Melior inquã eſt ex his motiuis frequens communio. Magna virtus humilitas, timor & Reuerentia; *ſed maior bo-*

Mat. 9
Marc. 6.
Io. 16.

1.Cor. 13. *horum Charitas*. Quanquam nec Humilitas, nec reuerentia, in sumptione desiderantur vnquam: dum Christi excellentiam, bonitatem; Nostramque è contra vilitatem, indigentiam perspicientes, accedimus. Recte igitur & alio loco D. Thomas: *Quia Amor* Lect.7 in 1. Cor.11. *praefertur timori, per se loquendo Commendabilius videtur esse, quod aliquis frequentius sumat, quam quod rarius*. Qui enim. D.Bō. in 4. dist.12 q.2. Videndum ad haec, ne dum ex timore & reuerentia abstinetur; aliunde forte incurratur inurbanitas. Cum enim hoc Sacramentum institutum sit, ad Christi eiusque Passionis memoriam; eam dum per ipsum Accessum, laudabiliter faciendam negligis: Beneficiorum te non omni-

nino gratum ac memorem conteſtaris.

Quod ſi præſuppoſita, Dei & Chriſti gloria (quæ hic principaliter intendi, quærique debet) rem ex bono ac fructu noſtro metiamur.

Certum eſt, quod accedens non indigne; toties quoties recipiat fructum, duplicem. Vnum ex Opere vt aiunt operato, ſeu ex Virtute ipſius Sacramenti; ſine reſpectu ad conatum, ſuſcipientis. Alterum ex Opere operantis, ſeu diſpoſitione, ſtudio, conatu, deuotione, ipſius Communicantis. Ita, vt qui per aliquem ſuum actum Bonum, extra Communionem alioqui percepiſſet gratiam; per eundem Actum, in Communione Multo maiorem

rem accipiat. Quod quidem etiam in alijs Sacramentis verum eſt; in hoc tamen vel maxime: Quod exinde Euchariſtia, ſeu Bona gratia dicitur; quia ſumentibus, Bonam, confertam menſuram gratiæ confert. Abſtinens verò, etiam ex motiuo reuerentiæ & humilitatis, fructum nonniſi percipit vnum.

Nunc autem duplex Bonum, præponderat ſimplici: maxime, vbi hoc includitur in illo, habeturque plus in duobus, quam haberetur in vno.

Accedit (inſinuante ſupra Doctore Angelico.) Quod ipſa Frequentatio SS. Sacramenti, Neceſſario quaſi inferat, & cauſet plura alia bona, Exercitiaque virtutum. Mouet enim ad

hoc

hoc ; vt Communicaturus ad Communionem se disponat per Orationes, Examen Conscientiæ, Confessionem, dolorem ; Exerceat actus humilitatis, mortificationis ; Attentus sit ad omnia circumspectè. Omnē pro illo tempore (Communioni vicino) caueat malitiam, etiam (quantum fieri potest) leuem. Ad quod ipsum, post communionem saltem faciendum, Virtute ipsius Sacramenti adiuuatur. Omissio verò seu Abstinentia, licet hominem ad aliqua bona conuertere possit, id tamen fit valde incidenter ac raro: Immo communiter homines reddit indispositos. Vt verum sit illud: *Qui non est hodie, Cras minus aptus erit.*

Neque hic iterum ingere:

re: Maiorem ex raritate, vel abſtinentia deuotionem. Vtinam fieret in, ijs, qui rariſſime, ideſt ſemel in annum, adeoque Communicare deberent deuotiſſime! Nunc autem, eo plerumque rediguntur acediæ; vt non modo non, deuotè, prompte, Dei & Eccleſiæ pareant Voluntati: ſed plane perfunctorie, renitenter, vix pertrahi poſſint, vt vel ſemel accedant ex præcepto. & ſi quoquomodo ſaluo Chriſtiano more liceret; ne ſemel quidem accederent: ipſa abſtinentia & non vſu, omnem deuotionis guſtum ſenſumque abolentibus.

CAP. VIII.

Congruè ad Frequentem, maximè Quotidianum, SS. Eucharistiæ vsum adhibenda.

COngruum esse supra innuimus: vt ij, qui præ alijs Frequentius ad Mensam Domini accedentes, gratiæ donis, Bonisque omnibus, cum ipsius Præsentia abundantius perfruuntur; liberaliores se quoque vicissim Domino suo exhibeant: seque maiori studio ac industria comparent; Quotidie coram Domino comparituri. Non igitur sibi satis esse ve-

velint; Quod Nullius sibi conscij peccati Mortalis, mentem afferant puram. Enitendum amplius; vt non solum non indigni, sed etiam (pro modulo ac tenuitate sua) digni manducent & bibant; altius, impensiusq; dijudicantes Corpus Domini. Iuuabunt ad hoc intentum, ea quæ hic paucis, ac compendio suggero. Et sunt.

§. I.

Præparatio.

HAnc conuenit esse totius Hominis; potissimum tamen Animæ, secundum omnes facultates ipsius: maxime Intellectus ac Voluntatis.

Et Intellectui quidem, vl-

vltra firmam Fidem, qua credat in hoc SS. Sacramento vere, realiter, & ſubſtantialiter, Corpus & Sanguinem, vna cum Anima, & diuinitate Domini noſtri IESV Chriſti, ac proinde totum Chriſtum ſub ſpeciebus panis & vini, contineri, &c. Etiam penitior cognitio & per meditationem altior ruminatio, inſpectioque conuenit. Cibus enim hic, Panis vitæ & Intellectus dicitur. Ad quem ex mente Auguſtini inuitando Pſaltes Regius: *Vacate* inquit *&* *Videte*. Mentis auocationem à reliquis, & applicationem ad hoc Myſterium, ſumentibus inſpirando. *Propterea* inquit Clemens Alexand. *Saluator, cum Panem accepiſſet, primum locutus eſt, & egit gra-*

Trid. ſeſſ. 13. Can. 1.

5. Cõf. 11. pſ. 45.

1. Strõ d.

M

gratias ; Vt ex Ratione , Comedamus . Non enim qui Orthodoxi vocantur, bona opera aggrediuntur , nescientes quid faciant. Hinc olim in Ecclesia Hierosolymitana , Cyrillo teste , Sacerdos ad communionem inuitaturus , ijsdem supra Psalmistæ verbis vtebatur : *Gustate , & videte* . Fideles maturè commonens : fructum Eucharisticum , non soli manducationi aut gustui ; sed respondere etiam Visioni ac Contemplationi. Cibus solidus est, qui nisi pia mentis reuolutione ruminationeque masticetur , vix nutrit : *Cibus* inquit *fortium sum, cresce & manducabis me , sed non tu me mutabis in te , sed tu mutaberis in me* . Non igitur cibus est infantium, qui nesciunt

Catec. 2.

Ps. 33.

Aug. 7 Conf. c. 10.

sciunt nec dijudicant quid sumant. Cibus est Adultorum, ex Ratione manducantium.

Hora igitur dum imminet Comedendi. Accedite, & illuminamini; quod Ps. 33. Hieronymo ex Hebræo transferenti idem est, ac Respicitè & confluitè. Memoriam Diuinis nonnisi refertam mysterijs, Intellectum, ijsdem penitus immersum, apportate. Iam immensum in nos Amorem, & nimiam Charitatem qua dilexit nos; Iam beneficij huius doniqueque magnitudinem; Iam vilitatem ac nihilum nostrum, Christi tãtam in nos dignationem; iam Passionis, mortisque mysterium, aliaque quæ tum ingeniosa charitas, exundans pietas sugge-

ret, penitius introſpiciendo, ruminando, contemplando. Toti ibi ſimus propter Chriſtũ, qui ibi totus eſt propter Nos: *O diuiniſſimum, & ſanctum Sacrificium, obducta tibi Symbolica operimẽta ænigmatum reuelans, dilucide nobis demõſtra, ac ſpeciales noſtros oculos, ſingulari apertoque lumine imple.* Domine vt videam: Nouerim me, Nouerim te, & nihil præter te, &c. Meditationis, ruminationiſque Materiam, dabimus aliàs.

Dio. Areop. de Eccl. Hie c. 3. n. 72.

c. 10.

Ex his, paſſus fit ad ea, quæ ſunt Voluntatis. Quam Amore ac deſiderio, Chriſto ſeſe Vniendi, inflammatam eſſe conuenit.

Optima ad Cibum diſpoſitio eſt fames: *Fames Animæ eſt deſiderium*, inquit Richar. Vict. Hoc igitur af-

p. 1. de Grad Char. c. 2.

afferendum, vt cum fructu Cibum hunc, ac Panem de Cælo præstitum Manduces. Animum esurientem satiauit Bonis; Fastidiosos diuites dimisit inanes, ideo; quia repleti Mundi desiderijs, nauseant super Quotidiano vsu cibi istius, gustu terrenis deprauato: *Comedit* (inquit in simili Gregorius) *nec saturatur; quia aliud mandit, aliud esurit*. Comedunt & hi Sacramentũ quod nõ esuriunt, esuriunt autem res terrenas & inanes, quas non comedunt, propter quas fastidium concipiunt Ciborum spiritualium. *Famem igitur patiamur*, inquit S. Maximus, *non Corporis, sed amoris; & non tam cibi ieiunio, quam desiderio laboremus*. Interior itaque homo noster

Luc 1.

Ho. 10 in Ezech. longè ab init.

Ho. 3. de Pētec.

esuriat, habet enim Cibum suum: *Ego sum*, inquit, *Panis qui de Cælo descendit*. Hunc appetat hunc desideret, & *Replebit in Bonis de-*
Ps. 102. *siderium ipsius*.

Desiderium nostrum & Amorem, acuat ipsum Christi desiderium, quo desiderat à nobis manducari: *Desiderio desiderauit hoc Pascha manducare*. Quia Mysteria traditurus erat, inquit Chrysostomus; hoc est daturus seipsum Discipulis: non illis modo, qui tunc præsentes aderant, sed & futuris vsque ad consummationem sæculi.

Et verò, quid aliud denotat continuata ipsius nobiscum præsentia? nisi ardens ac continuum desiderium, quo vult à nobis manducari. Pene vltro seipsum

ſum nobis ingerit, dum tam conſtanter in omni fere Eccleſia, conuiuis ſe exhibet: *Adijcit vim ac violentiam, dum præcipiendo dicit, Comede*, inquit Gerſon.

O igitur in nobis deſiderium Seraphici Bonauenturæ! qui cum moribundus decumberet, iamque è vita diſceſſurus, ob nauſeantem omnia ſtomachum, ne Viatico quidem ſuo reuerenter frui poſſet; ideoque eam ſaltem deſiderij ſui medelam impetraſſet, vt Chriſti Corpus Cordi ſuo admoueretur, quo illo Cor è vicino frui poſſet: tandem vehementia Amoris deſiderijque, ſeſe Chriſto ſuo coniungendi, in tantum profecit; vt eundem, per viſcera ſuo miraculo penetrantem, cordis ſui hoſpi-

Vvad To. 2. Annal Anno 1275. n. 17.

tem intus attraxerit. O nobis desiderium Senensis Virginis! quæ non minus ore quam cordis affectu, Christo suo desideranter appropinquans; Violenter penè, è manibus Sacerdotis, sese in Eucharistia expedientem, ac ad Virginale Cordis ipsius habitaculum properantem Christum, toties raptum pene, gratanter habuit. Rapito & tu similiter, hoc rapinæ genus approbatum. Quanquam,
Ier. 30 *Quis est iste, qui applicat cor suum vt appropinquet tibi!* miratur Propheta dignationem Domini. Innuens: quod hic Cibus, non expectet (sicut alij) vt attrahatur; sed ipse ceu Panis viuus, quærit animam, vt intret ac manducetur. Et dum intrat ac manducatur, ita pa-
scit

ſcit, ac reficit; vt refectos, magis ac magis faciat eſurire. *O bone Deus*, Exclamat Richar. de S. Victore: *quomodo amantes te ſic reficis, vt magis eſuriant!* ac ſubiungit: *Cum cibus qualitates ſuas nutrito imprimat, Quia tu cibus es & eſuriens; qui te non guſtauit, prorſus eſurire neſcit.* Vt eſuriat, manducet; vt fructuoſe ac ſalubriter manducet, eſuriat. Eſuriat autem non modo deſiderando; ſed & animum, ab ijs quæ Mundi ſunt, euacuando. Fames enim à Vacuitate cibi prouenit. p. 1. de Gr. Ch. c. 2.

Dicat cum Ambroſio: *Depoſui peccatum, temperaui mores, delicta deſerui, eſurire incipio.* Vel cum Bernardo: *Pro modulo noſtro, exinanire per omnia noſmetipſos, & à delectationibus miſe-* l. 2. de Temp. Ser. 2. de Aſcenſ.

ſeris, & caducis conſolationibus euacuare, ſtudeamus.

Hoc exinanitionis medio Serui Dei, non ingentem modo famem, ſed orexim pene, huius Sanctiſſimi Cibi, in ſe deliciose ſimul ac fructuoſe experti. Quanta fames illius! Qui donum ſaporandi, odorandique hunc cibum conſecutus; auidiſſime relegebat vicos & plateas, per quas ad infirmos forte SS. Sacramentum deportatum fuerat; gratiſſimoque illo Paradiſi odore irritatus, tanta ſemel correptus eſt fame; vt eiuſdem amplius impatiens, ad Eccleſiam rapidiſſimo delatus curſu, non Euchariſtiam modo, auidiſſime ſimul ac delicioſiſſime conſumpſerit, ſed continuandæ ſumptionis auiditate, ip-

P.Rho Orat. 17. Ex Guliel. Pariſ. de Rhethor. diuin. c. 34.

ipſam adeò pixidem dente comminuerit. Quantum ſumendi deſiderium in S. Philippo Nerio! qui Chriſti ſanguini ſugendo inhians; ipſum vnà calicis aurum, labijs ac ſpiritu deterebat. Norant hi, dulciterque in ſemetipſis experti ſunt, quam verum ſit: Famis hoc tempus eſſe, ac Beatos qui eſuriunt. Mat. 5

Ne igitur lento corde, & ore languido, Sacramentum Dominici Corporis ſumamus ac ſanguinis; ſed cum omni auiditate, *quaſi vere eſurientes ac vere ſitientes*, recte monet Gaudentius. Tract. ad Neop. Nonne videtis (animaduerſio eſt Chryſoſtomi) quanta promptitudine paruuli papillas capiunt; quanto impetu labia vberibus infigunt! Ac-

cedamus cum tanta nos quoque alacritate ad hanc mensam, quinimo cum maiori. Trahamus tanquam infantes lactentes; Spiritus gratiam; & vnus sit nobis dolor, hac esa priuari.

Scio mi dulcis IESV, & confiteor coram diuina Maiestate tua, ac omni penitus Creatura: Quod mensa tua indignus sim: *Non est* (scio) *hæc mensa Coruorum, sed Aquilarum*; Virorum altissimi spiritus & affectus. Cæterum, quia
ps.146 *das escam etiam pullis Coruorum inuocantibus te*; idque non alio merito, quam quia fament. Illis me adiungo, cum ijsdem ardenter clamo ad Te: Pasce Domine pasce pullos coruorum, filios peccatorum, clamantes ad te. Ah Domi-

mine, non tamen de ijs esse velim: *Qui lambunt petram, sed inde mel non sugunt: Corde sicco & mente arida.* Cypr. deCē. Dom.
Venio ad te, & vt fructuose manducem, offero tibi quod potest Mendicus; non aurum, non argentum sublimium virtutum. Quid dabo vt ad te fructuose veniā? Aurum & argentum non est mihi, quod autem habeo hoc do. Quid illud? Palatum apertum, fauces esurientes, oculos præ inopia languentes. Tu autem pro tua bonitate ac misericordia diues in omnes, Animam esurientem satia Bonis.

Et verò satiabit is, qui Replet in Bonis desiderium tuum: *Dilata igitur os tuum, & implebit illud.* ps.80. Quantò magis dilataueris, quantum pro-

processeris desiderio, tantum & repleberis. Desiderabis eam spiritus & Animæ plenitudinem; quam rerum aliarũ omnium oblitus ac pertæsus, soli Deo immersus, eidem sine strepitu temporalium, suauiter frui possis. Fiet. Dilata os tuum & implebit. Nonne Francisca Romana, Gonsaluus Sylueria, alijque serui Dei, ad mensam hanc extatici, sensibus destituti, soli spirabant Deo. Posces constantem ac firmam Fidem, Spem inconcussam, Amoris ignem tantum, quem nec flumina aduersitatum ac malorum obruant? Impetrabis. Dilata os tuum & implebit illud. Recole tot Sanctos Martyres, fortissimos Christi Athletas; qui plerumque ante Agonem,

Apud Io. Rho. or. 20.

nem, hoc ſe diuino (Cypriano teſte) firmabant Sacramento, vt vincerent. Optabis ſpiritum orationis, Cuſtodiam ſenſuum, Perſeuerantiam finalem in Bono? Obtinebis. Dilata os tuum & implebit illud. Dicent Ioannes de S. Facundo, Balthaſar Aluarez, alijque ſtudio orationis dediti; Communionis horam, eſſe Tempus tractandi cum Deo, ab eoque ediſcendi, quid, & quomodo (prout oportet) orare debeamus. dicent tot exules filij Euæ, tot profugi à facie perſequentis Iezabel Eliæ; in fortitudine cibi illius, ſe peruenisse ad Patriam, ad montem Dei Horeb. 3. Reg 19.

Virtus huius Sacramenti, Sugitur in vi Amoris ac deſiderij. Quanto plus amaueris,

ueris, amando desideraueris; tanto magis præparatus, maiori etiam fructu manducaueris.

O igitur: *Quemadmodum desiderat ceruus ad fontem aquarum, ita desiderat Anima mea ad te Deus. Sitiuit in te anima mea, quam multipliciter tibi Caro mea. Quid mihi est in Cælo & à te quid volui super terram. Defecit cor meum & caro mea. Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum. Quis nos separabit à charitate Christi, etc. Diligam te Domine virtus mea. Dominus firmamentum meum & refugium meum, &c.*

Ps. 41.

Ne autem verbo & affectu tantum, non verò opere & effectu diligere conuincare. Cauenda sunt Frequenter Communicanti, non

non ſolum ea quæ contraria ſunt Charitati, (quale eſt mortale peccatum) ſed etiam ea, quæ minuunt feruorem charitatis; hoc eſt peccata venialia, deliberata maximè & frequentia; Inordinatæ paſſiones, ad oblectamenta ſenſuum propellentes. Manna Hebræis datum non eſt, niſi conſumpta farina Ægypti. Farina (ex mente Aſceticorum) ſunt vel res delectabiles, quibus fouetur Amor proprius ac nutritur; quales ſunt loquacitas, & ſermo *ad rem* (vt ait Apoſtolus) *non pertinens*, ioci, prophana ſolatia, &c. Vel odores & veſtigia, quæ remanent ex vita præterita, ſi hæc forte minus laudabiliter acta. Iuuerit multum, vincere ſe in ijs etiam, quibus alio-

Exod. 16.

Eph. 5

alioqui vti licitum esset. Cordis insuper euagationes, distractionesque mentis, illa hora (quantum fieri potest) euitandæ. Immorandum, immoriendumq; tunc Christo, eiusque Passioni; vt dici possit de communicaturis: Mortui estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.

Colos. 3

PRAEMITTENDA quoque Intentionis Puritas. Vt scilicet non solum non ex motiuo vano; sed ne ob proprium quidem deuotionis gustum, ac delectationem suauitatemque etiam spiritualem: Verùm ex motiuo solius Dei & Christi gloriæ, eiusque gustus explendi desiderio: deinde arctissimæ Vnionis cum Christo, Tuisque Proximis, memoriæ Passionis

Bona de Perf. sup.

nis victoriæ tentationum, Præseruationis à lapsu, Gratiæ; ac virtutum augmenti, Perseuerantiæ ad mortem in Bono, vitæque æternæ consequendæ intuitu ac intentione accedas.

Fines hos vel similes, vt facilius memoria teneas; vti licebit Septem petitionibus orationis Dominicæ, in quibus Septem præcipui fines continentur. *Sanctificetur*, extollatur, glorificetur nomen tuum: *Adueniat Regnũ*, vt possideas, domineris, disponas in nobis omnia, iuxta gustum ac satisfactionem tuam; quò & nos veniamus in Regnum tuum: *Voluntas tua* est, vt fiat in tui commemorationem, Passionisque ac mortis tuæ; donec ad iudicandum venias. Vt per Corporis tui sumptio-

ptionem, fiamus vnum tecum, ac vnum inter nos, qui de vno pane participamus in terra. Fiat itaque voluntas tua: *Panem nostrum super substantialem*, quo viuamus, augmentemur in gratia ac virtutibus, da nobis hodie. Et propter te metipsum, *dimitte nobis debita*, præterita. Vt Præseruemur à futuris; *ne nos inducas in tentationem. Sed libera nos ab omni malo*, temporali & æterno, per Finalem Gratiam, & perseuerantiam in Bono; quā consequatur Vita æterna. Amen.

§. II.

Sumptio.

PRæparationem, in puritate & desiderio potissimum

ſimum ſitam voluimus. Cum autem deſiderium ſit *amor Boni abſentis* ; tendit ad acquiſitionem , Poſſeſſionemque ipſius . Hanc conſequitur , Gaudium , Fruitio, (quæ Auguſtino teſte nil aliud eſt , *quam præſto habere quod diligis*) & Quies Animæ in Bono : qui ſunt Actus Amoris de Bono præſenti . Poſtquam ergo præparatus, deſideranter Dominum in domum cordis tui introduxeris, eumque præſentem habueris . Quid aliud ages ? quid reſtat aliud ? quam vt gaudio de præſentia ipſius diffluens , pleno ac dilatato Corde, in dulcedine Amoris ac Animæ tuæ, eodem perfruaris : Et, vel cum Magdalena ad pedes Domini tui corruens, eoſdem dulci amoris ac con-

Aug. de Ciui. Dei l 14. c. 7. poſt med.

De Mor. Eccl. c. 3. ante med

Luc. 7

contritionis lacryma irriges; vel cum Sponſa, poſt ardens deſiderium,& *Quæ-*
Cant, 3. *ſiui quem diligit Anima mea: introductum iam* in domum tuam, *Teneas* eum ardentiſſimi amoris complexu,*nec dimittas*. Aut cum eadem,
Can.1 *ſub vmbra illius* pro te Crucifixi, *quem deſideraueras*, in quiete contemplationis conſideas. Vel demum, diceu *Faſciculum Myrrhæ* dilectum tuum tibi,inter vbera tua dulciter commorantem, toto cordis affectu ſtringas, & apprimas; ponaſque eum vt ſignaculum ſuper cor tuum, vt ſignaculum ſuper brachium tuum: *Ego dilecto meo & ad me conuerſio eius. Dilectus*
pſ.72. *meus mihi & ego illi. Quid mihi eſt in Cælo, & à te quid volui ſuper terram. Deus*

cor-

cordis mei & pars mea Deus. Magnificat Anima mea Dominum & exultauit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo. Diligam te Domine virtus mea, &c.

§. III.

Gratiarum Actio.

HÆc, eſt continuatio Actuum ac affectuum, in Chriſti præſentia. Conſiſtit autem potiſſimum in his tribus. *Primo*. In æſtimatione, & admiratione Beneficij; cum reſpectu ad vilitatem, & indignitatem noſtram. *Secundo*. In laude & extollentia Liberalitatis ac Beneficij: Cum promptiſſima viciſſim oblatione noſtri, & tranſcriptione ad omne Benefactoris

ris obſequium. *Tertio*. In redhibitione Actuali.

Magna igitur cum veneratione, humilique proiectione tui interiori & exteriori, pronus ante faciem Domini, cum Abraham, Daniele, ac alijs, in abyſſum nihili tui te demittes, ac admirabundus exclamabis: Et vnde mihi hoc, vt veniat Dominus meus ad me! *Vnde mihi hoc, vt inuenirem gratiam apud oculos tuos Domine, qui conſolatus es me, & locutus es ad cor ancillæ tuæ, quæ non ſum ſimilis vnius puellarum tuarum!* Quid recordatus es mei, & *non dereliquiſti quærentes te Domine!* Ego vermis & non homo, opprobrium hominum & abiectio plebis. Ego puluis & cinis, &c. Tu Deus, Rex, Magnus Do-

Ruth. 2.

pſ. 21.

mi-

minus, ſuper omnes Deos, pſ. 8.
&c. *Quid eſt homo quod memor es eius,* aut Filius hominis quoniam reputas eũ. Minuiſti eum paulo minus ab Angelis, immo coæquaſti eum Angelis. Panem Angelorum manducauit homo, eadem gloria & honore coronaſti eum, &c. O Domine Dominus noſter, quam admirabile eſt nomen & opus tuum hoc in vniuerſa terra! Quia reſpexiſti humilitatẽ ancillæ tuæ. Laudent te Domine omnes Sancti ac benedicant tibi. Ego autem: *Quid retri-* pſ. 115
buam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi! Nihil aliud niſi teipſum Tibi; qui Tibi ſolus ſufficis. Sacrificio laudis honorificabo te. Tibi laus tibi gloria, tibi gratiarum actio in ſæcula.

Act.4. *Domine quid me vis facere?* Loquere ecce audit seruus
ps.56. tuus: *Paratum cor meum Deus. O Domine ego seruus*
ps.84. *tuus. Audiam quid loquatur in me Dominus Deus*, Loquetur enim pacem in populo suo.

Factoque Animæ silentio, ac quodam intuitu super vitam, mores, ac conuersationem tuam; Conscientia tibi dictabit, quid à te fieri velit, quid corrigi, ac emendari.

Hic Propositorum locus. Hic erubescentiæ de tepiditate tua. Hic inuocatio Auxilij. Petitiones ac Commendationes necessitatum, tam tuarum, quam aliorum. Atque cum tempus adesse credideris, quo desinentibus speciebus Sacramentalibus (quadrans ho-

ræ putatur à ſumptione) ipſe quoque Sacramentalem præſentiam ſuam, tibi ſit ſubtracturus. Breui omnium actuum affectuumque recapitulatione facta, cum omni profunditate cordis proteſtaberis: *Non te dimittam Domine, niſi benedixeris mihi*. Cum certa ſpe, quod ſicut olim Aſcenſurus in Cælum; ita & nunc, *Ele uatis manibus*, benedicet tibi. Tu autem eorum quæ locutus eſt non immemor, Executioni te trades; vitamque ages, Chriſto, eiuſque vlteriori dignam præſentia.

Gen. 32.

Luc. 24.

Et hoc eſt *Fragmenta colligere quæ ſuperauerunt*: *hoc reliquias cogitationum diem feſtum agere*; raſſumendo identidem præclaros ſenſus, quos Dominus in ſacra

Io 6.

pſ. 75.

Communione tibi fortè aperuerit; ijſque per reliquum diem identidem inhærendo, per eoſdem ad ſequentem te iterum pares Communionem.

Porro, quos fructus, dicta Gratiarum actio pariat? Experieris facile. Interim, ex proportione bene digeſti concoctique cibi collige: Inde tota ſanitas, vigor ac ſalus hominis. Digeſtio autem non fit momento; ſed cum tempore. Etſi verò hoc Sacramentum, Gratiam in Anima cauſet, ſtatim ac Manducari cæpit. Eandem tamen gratiam continuari, & augeri per actus noſtros, indubitatum eſt. Ijs proinde inhærendum, quantum tempus, vires, & opportunitas patietur. Monſtrandumque practice, quod

quod Christi *conuictus tædium non habeat*; quodque non solum ipsius, sed & nostræ vicissim deliciæ sint, esse cum Dei Filio. Sap. 8

DEFECTVS istorum inter causas reputa, Cur ex frequēti Communione quidam non proficiant. Insinuante idipsum Domino per Prophetam suum: *Ponite inquit corda vestra super vias vestras. Seminastis multum & intulistis parum, comedistis & non estis saturati, operuistis vos et non estis calefacti, & qui mercedes congregauit, misit eas in sacculum pertusum.* Aggæi

Seminastis inquit multum & intulistis parum. Christus in SS. Sacramento Grano frumenti comparatus, se se ipsum seminat in Agro Animæ. Vt fructum af-

ferat; necesse est, semen hoc in terram cadat bonam, præparatam, liberam à spinis & tribulis peccatorum, desideriorum huius Mundi,&c. Sulcatam ferro Mortificationis, refrenationis Passionum, appetituum inordinatorum. Occatam, seu reductam ad æquabilitatem animi in omnibus. Non tantum: sed si fructum insuper trigesimum, sexagesimum desideras; necesse est, vt in terra bona moram faciat,& vsque dum mortuum fuerit, à terra bona foueatur.

Quod igitur sæpe seminans,parum intuleris; exinde etiam venerit: quod vel non præparatus ager acceperit; vel vt seminatum est, continuo venerint Volucres Cæli, cogitationes, agitatio-

tiones mentis aliæ, non ſeruientes illi tempori; & tulerint illud de mente ac memoria affectuque.

Comediſtis & non eſtis ſaturati. Cibus Animæ eſt. Vult proinde (præter diſpoſitionem ſanam, famem, ac deſiderium) etiam maſticationem, retentionem ſui ac digeſtionem, caloremque per actus feruentes continuatum. Hæc quia defuerint; ad ſaturitatem peruentum non eſt.

Operuiſtis vos, induentes Dominum noſtrum IESVM Chriſtum: *Calefacti tamen non eſtis*; quia eum attenta Meditationis zona, ad cor & animam non reſtrinxiſtis.

• Per mercedes bonorum affectuum, gratias, & dona, à Domino in Sacra Com-

munione collata , ditiores ad modicum facti , ad pristinam redacti estis indigentiam: *Quia missa in sacculum pertusum* , in cor & Animam , omnibus omnino peruiam distractæ mentis cogitationibus; secus quam faciebat illa, quæ *conseruabat omnia verba* , conferens ea in Corde suo .

Luc. 2

Tu igitur cum Communicaueris, intra in cubiculum cordis tui; & clauso super te ostio sensuum, ora Dominum tuum in abscondito, nullis alijs patens curis, nec cogitationum aliarum tumultibus. Et Dominus *dabit tibi petitiones cordis tui*, fructum Communionis vberem ac superefluentem in sinum tuum: quem ego tibi opto, tu desideras, Dominus autem, se, sua-

ps. 36

ſuaque myſteria Frequentantibus copioſe largiatur.

CAP. IX.

Fomenta prædictis ſubſeruientia.

AD deſiderium & Amorem Chriſti in te excitandum fouendumque, meliora dum occurrant; ijs quæ ſequuntur, per hebdomadæ dies, non infructuosè vti poteris.

Et quidem cum deſiderium in nobis, ipſum excitet Bonum; quo, vel ad indigentiam noſtram explendam, vel ad mala quibus premimur depellēda, vel ad

perfectionem aliquam consequendam, opus habemus. Horum consideratio, animum nō difficulter ad consecutionem illius stimulabit & accendet. Quod vt eo pronius fiat. Accedente. Communionis hora.

§. I.

DIE PRIMA.

1 CONSIDERARE licebit ac recolere, *statum Mundi ante aduentum Christi*: quam miserabilis, planeque deflendus, in illis Gentilitatis tenebris, ac cæcitate mentis; ex qua, in omnia mala, & vitiorum genera passim proruentibus, in tantum superabundauit iniquitas; vt vix fuerit qui faceret bonum:

Do-

Dominus, inquit Pſaltes, *de* pſ.13.
Cælo proſpexit ſuper filios hominum; vt videat, ſi eſt intelligens aut requirens Deum. Omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt. Non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum. Corrupti ſunt & abominabiles facti ſunt in ſtudijs ſuis: non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum. Exinde. *Contritio & infelicitas in vijs eorum, & viam pacis non cognouerunt.* Pacis potiſſimum æternæ; deſcendentibus tot quotidie ad inferos.

Malo huic ac infelicitati (ortum ducenti à tenebris, ac cæcitate dicentium in corde ſuo: *Non eſt Deus*) remedium petendum erat à Luce. Quanto igitur credis deſiderio, ſolem Iuſti-

tiæ, candorem lucis æternæ, Dei Filio præstolabantur ij pauculi; qui inter Cæcos Videntes: & ipsi prouidebant Dominum in conspectu suo semper; & Dei cognitione illuminatos volebant reliquos. Testes illæ gementium voces: *Vtinam disrumperes Cælos*
Is 60. *& descenderes! Visita nos*
ps 105. *in salutari tuo, ad videndum in bonitate Electorum tuorum.*
ps 84. *Ostende nobis Domine misericordiam tuam, & salutare tuum da nobis.*

Postquam autem obumbrante Spiritu Sancto, in vtero Virginis conceptus Sol iustitiæ, ceu in Aurora illucescere cæpit. Quantum inde gaudium! Quæ Exultatio! Quæ gratiarum actio! Idæam horum propositam, iuuenies in Cantico-

co Virginis: *Magnificat* Luc. 1
Anima mea Dominum. Et exultauit Spiritus meus. Quia respexit, &c. His ita præmissis.

2 VIDE, si non similis aliqua lucis indigentia, si non prouenientia inde mala, animam tuam premant: *Venit quidem lux in* Io. 1.
Mundum, quæ illuminat omnem hominem. Signatum est ps. 4.
super nos lumen vultus eius; tum per Baptismum, ceu illuminationis Sacramentum; tum per doctrinam Euangelicam, tibi non ignotam; de Deo, eius præsentia, Prouidentia, Iustitia, Pręceptis, Consilijs. Audiueris: *Quid prodest homini* Matt.
si vniuersum Mundum lu- 16.
cretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur. Quærite primũ Regnum Dei & Iusti-

tiam

Mat.6. *tiam eius. Facite fructus*
Io.3. *dignos pœnitentiæ*, & similia.

Omniane tua in luce? totusne oculus tuus mentis, totum Corpus tuum lucidum? Vt corpore & mente sanctus, nulla opera tenebrarum, nulla opera mala (quæ lucem oderunt) committas? Vt stabilitatem æternorum; vanitatem, labilitatem temporalium ac terrenorum penetrando; hæc transeas, illa secteris?

Vereor, ne & apud te quandoque fiant, vel tenebræ (per raram omnino memoriam aut obliuionem Dei) vel obnubilationes mentis, per fascinationem Nugacitatis, *quæ obscurat*
Sap.4. *bona.* Vel Nox cæca, *in qua*
ps.103. *pertranseant omnes bestiæ syluæ*, irrationales appetitus,

vt

vt quærant escã sibi, terrenarum iucunditatum, & solatiorum; quibus sic perfruare, vt amittas cælestia.

Et non metues noctis, vel cæcitatis huius pericula? Nõ aspirabis ad illam lucem? in cuius lumine ac illustrationibus internis, videas lumen; idest Deum tibi semper præsentem, eius voluntatem ac beneplacitum, in his quæ sunt legis diuinæ, ac perfectionis Euangelicæ?

3 Ecce tibi oritur in SS. Eucharistiæ Sacramento Splendor lucis æternæ, illuminans omnem hominem, te quoque sedentem in tenebris. Et non desideranter ingemisces cum Psalte? *Domine ante te omne desiderium meum, & gemitus meus à te non est abscon-* ps. 37.

sconditus. Cor meũ conturbatum est in me, dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum & ipsum non
ps. 42. *est mecum. Emitte lucem tuam & veritatem tuam, ipsa me deduxerunt & adduxerunt in montem sanctum tuum, & in tabernacula tua.*
ps. 30. *Illustra faciem tuam super seruum tuum, saluum me fac*
ps. 35. *in misericordia tua. Domine non confundar, quoniam speraui in te. Quoniam apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen. Prætende misericordiam tuã scientibus te, & iustitiam tuam his qui sunt recto corde.*

Cum accesseris, & lucem hanc in abditos sinus tuos intromiseris. Nonne exultanter cum eodem Psalte:
ps. 26. *Dominus (inquies) illuminatio*

mea

mea & salus mea quem timebo. Dominus protector vitæ meæ à quo trepidabo. Exortum est in tenebris lumen rectis, misericors & miserator & iustus. ps.111 *Laudate eum Sol & Luna, omnes stellæ & lumen, &c.*

Sed simul ad lucem illam, lapsus tuos præteritos recognoscens, opera tenebrarum coram eodem detestaberis; vitanda propones. Cumque humiliter auxilium, verbis illius Cæci Euangelici: *Domine vt videam*, Luc.18 vel Psalte: *Illumina oculos meos ne vnquam obdormiam in morte, ne quando dicat inimicus meus præualui aduersus eum*; ps.12. postulaueris: ne dubita, Verbum Consolationis ad te peruenturum illud: *Non occidet vltra Sol tuus, & Luna tua non* Is.60.

mi-

minuetur, quia erit tibi Dominus in lucem sempiternam.

Quod vbi perceperis, in nouas solutus gratias; Canticum Puerorum, exultanter adieceris illud: *Benedicite*
Dan. 3 *omnia opera Domini domino, laudate & superexaltate eum in sæcula. Benedicite Angeli Domini domino, benedicite Cæli domino. Benedicite Sol & Luna Domino, benedicite stellæ Cæli Domino. Benedicite lux, & tenebræ Domino, &c.* Benedicamus Patrem, & Filium cum Sancto Spiritu, laudemus & superexaltemus eum in sæcula: *Benedictus es Domine in firmamento Cæli; & laudabilis, & gloriosus, & superexaltatus in sæcula.*

Deinceps autem videas, vt verificetur in te illud Da-
ps 88. uidicum: *Domine in lumi-*

ne vultus tui ambulabunt, & in nomine tuo exultabunt tota die, & in iustitia tua exaltabuntur. Quoniam gloria virtutis eorum tu es. Non immemor & illius Euangelici: *Ambulate dum lucem habetis, vt non vos tenebræ comprehendant: dum lucem habetis credite in lucem, vt filij lucis sitis.* Omnia tua hac die fiant sine næuo. Io. 12.

§. II.

DIE SECVNDA.

1 CONSIDERARE licebit *Statum Domus Zachariæ, & Elisabethæ*; illum sane aliquando miserum: Quo Ioannes in vtero, vinculis naturæ constrictus, & grauatus pondere peccati Originalis. Luc. 1.

Pa-

Pater autem ob increduli-tatem, linguæ vſu deſtitu-tus. Mater vtriuſque cala-mitate per compaſſionem preſſa: vbique gemitus, vbi-que ſuſpiria. Hinc Filius,
pſ 50. re, ſi non voce: *Ecce ego in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me Mater mea.* Inde Pater, nutibus inſinuans mæſtum illud: *Adhæſit lingua mea*
pſ. 21. *faucibus meis.* Quam de-ſideranter credis Hic: *Do-*
pſ. 50. *mine labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam.* Ille vero: *Miſerere mei Deus ſecundum magnam miſericordiam tuam,* ſuſpira-uerint.

Et ecce non ignara Ma-lorum Miſericordiæ Mater; abijt & venit *in Montana*
Luc. 1. *cum feſtinatione.* Vt autem primum ingreſſa, Patrem mi-

misericordiarum, & Deum totius consolationis, domui intulit; vt primum facta est vox salutationis in auribus Elisabeth: Quantum inde bonum! quantum solatium!. Solutis vinculis, excusso pondere *Exultauit infans*. Cum tempore, & lingua Patris in laudes & hymnos; tota vicinia, in gaudia & exultationes abijt.

2 Ingredere iam domum, & Conscientiam tuam; lustra sinus & recessus tuos. Videsne an sentis calamitates, vincula seu pondera peccatorum?. Vt vt absint grauia, Quotidianos nexus, vel arenas multitudine sua prementes animam, certus sum deprehendes: *Multiplicatæ sunt* (forte inquies) *super capillos ca-* ps. 37.

pi-

pitis; Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus graue grauatæ sunt super me. Putruerunt & corruptæ sunt cicatrices meæ, à facie insipientiæ meæ.

Miser factus sum & curuatus. Afflictus sum & humiliatus sum nimis, rugiebam à gemitu cordis mei.

Nonne igitur ò Anima (ad Deum, & Dei arctiorem amicitiam anhelans) Cum alacritate spiritus, viã mandatorum eius, in dilatatione cordis tui currere desideras? His igitur nexibus enodari, hoc pondere liberari appetis! *Cupio* inquies
Phil.1. *dissolui & esse cum Christo*, per vitæ scilicet in-
Rõ.7. nocentiam. *Quis me liberabit de Corpore mortis huius*, de corpore quod corrumpitur suis in desiderijs,

ac

ac toties innodat & aggrauat Animam: *Sed vnde auxilium mihi?* Ps. 120

3 *Leua oculos tuos in montes*, in sublime Altaris Dei. Inde Auxilium tuum à Domino. Ecce iste saliens, cum alacritate cum festinatione venit tibi; vt liberet te, vt expediat à peccatis tuis; maxime venialibus: quæ virtute Sanctissimi Sacramenti penitus tolluntur, dimittuntur.

Et non occurres cum gaudio? non recipies cum amore simul & admiratione? *Vnde hoc mihi*, vt Dominus meus veniat ad me! Vt insonuit vox illa Tuorū benignissime IESV: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi: sed & illa vox tua dulcis: *Venite ad* Matt. *me omnes qui laboratis &* 11.

one-

onerati estis, & ego reficiam vos. Exultauit spiritus meus, in te Deo salutari meo.
Nonne prociduus ante Dominum, exultanti corde insonabis illud Zacchariæ:
Luc. 1. *Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitauit & fecit redemptionem plebis suæ. Salutem ex inimicis nostris, & de manu omnium qui oderunt nos. Vt sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati, seruiamus illi: in sanctitate & Iustitia coram ipso, omnibus diebus nostris.*
Factaque coram illo humili tui accusatione, dolore de peccatis, hoc vel illo specialiter. Petes ardenter, vt te Christus nouo sui Amoris vinculo sibi adstringat, nec patiatur vnquam à se separari. Illi vltro Animam, Corpus, Sensus,
om-

omnem libertatem illigabis, vt ſis ac maneas Vinctus Christi.

In reliquo dabis operam, vt ſicut tribus Menſibus in domo Zachariæ; ita tribus ſaltem vel pluribus horis, per frequentem ſui ſuæque Paſſionis memoriam, apud te maneat Chriſtus.

§. III.

DIE TERTIA.

1 INFERES te *Antro Bethleemitico*; recenſque nati Saluatoris notiſſimam, tenera mente reuolues hiſtoriam. Felicitatem, Sanctitatem Loci, ac Perſonarum eo concurrentium, tecum reputans. Eò loci primò Deus in terris viſus, eodem præter SS. Matrem Luc. 2

& Iosephum, etiam pertraxit Angelos, Reges, Pastores. Quanto hi accurrere desiderio! Quanta veneratione ingressi adorauere! Amore complexi! Quam ægre inde diuulsi! Quam dulci deinceps memoria, toto itinere suo, laudantes benedicebant Deum; amplissimis ab eodem ditati ac cumulati, Bonis. Felices nimium, quibus ea Fortuna ita peracta est; vt fructu ipsius, etiamnum in Cælis perfruantur.

2 Nonne ô Anima & Tu desiderares similem? Ab ea non excluderis. Quotidie tibi innouatur. Bethleem Domus Panis dicitur. Quid aliud Ecclesia, in qua Cælestis hic Panis proponitur, nisi Bethleem? In qua, virtute Consecratio-

nis

nis quotidie Christus renatus, tibi adorandus, sumendus, proponitur: Et non accurres desideranter cum Pastoribus? non transibis festinanter? vt Videas hoc Verbum quod factum est, & Dominus ostendit tibi?

Cumq; in conspectum ipsius veneris: Nonne cum SS. Regibus procidens adorabis? *Venite* inquiens *adoremus & procidamus ante Deum, ploremus coram Domino qui fecit nos, quia ipse est Dominus Deus noster, nos autem populus eius, & oues pascuæ eius.* Ps. 94 Porrectum, nonne ardentioris Amoris brachijs complexus stringes? præ teneritudine animi diffiues? Cum Cælesti Angelorũ Choro, laudes & Gloriam Deo occines? *Gloria in excelsis Deo,*

in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Laudamus te. Benedicimus te, Adoramus te, glorificamus te: Gratias agimus tibi, propter magnam gloriam tuam. Nonne toto exultabis corde, Tibi datum Tibi natum.
pſ.9. 3 Sed & viciſſim totum Te illi dabis, conſecrabis: Munerum loco, potentias Animæ, Te totum offeres. Simulque Cauebis, ne tam ardenter receptum, leuiter deſeras; Neue Cor tuum fiat diuerſorium, omni vanitati peruium, in quo ei locus non ſit. Soli IESV, MARIÆ, Ioſepho, vt memoria; ita Cor & Anima, illa vel maxime die, ſacra ſunto.

DIE

§. IV.

DIE QVARTA.

1 INGRESSVS Templum Salomonis: Luc. 2
Contemplaberis cum Simeone & Anna desolationem ipsius; quod bella, ac inde Gentium profanationes, multum à prima sua gloria dimouerant: Indeque mæstos, ac expectantes felicem illam horam, qua Deus impleturus erat Prophetiam Malachiæ, & renouaturus gloriam Templi illius, per ingressum ac præsentiam Filij sui, iuxta illud: *Ecce ego mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam. Et statim veniet ad Templum suum dominator quem vos quæritis, & Angelus Testamen-* Mala. 3.

menti quem vos vultis. Itemque *Veniet desideratus cunctis gentibus: & implebo domum istam gloria*. Cumque responsum accepissent à Spiritu Sancto, horam adesse vicinam. Quanta iucunditate! quanto desiderio illam expectauerint.

Agg. 2

Postquam vero Dei Filium, Maternis vlnis Templo iam inferri cognouere. Quanto ardore! æstuque accurrerunt! Acceptum in vlnas suas strinxerunt; Deum ac Dei Filium benedixerunt. Felicitate illa sua fruentes, omne terrenum exosi, in mortem paratissimi, dimitti in pace postularunt!

Luc. 2.

2 Age Anima *Templum Dei estis vos*, inquit Apostolus. Nunquid non desolatum! Inspice, qui or-

1. Cor. 3.

ornatus virtutum? quæ, &
Cui, super Altare cordis tui
quotidie fiant sacrificia?
Abominatio desolationis!
Nonne pristinam innocentiæ (in qua per Baptismum Deo consecrata, dedicataque es primò) desideras gloriam? Nonne optas Christum ex vlnis Simeonis, in tua demitti; in eiusque præsentia, immo complexu, cum Simeone sanctè feliciterque mori!

3 Ecce felicitas præ foribus. Ecce mittit Dominus Angelum suum, (Sacerdotem intelligo) Eucharistiam porrigentem. Et statim veniet ad te dominator, quem tu quæris. Veniet *desideratus cunctis gentibus, & implebit domum tuam gloria*. Tunc cum Simeone receptum in vl-

nas, Cordi apprimas. Tunc Nauſeanti, omne quod terrenum quod vanum eſt animo, nihil præter illum voles & appetes: *Quid mihi eſt in Cælo,& à te quid volui ſuper terram. Deus cordis mei & pars mea Deus.* Tunc præmiſſis actibus Fidei viuæ, Spei certæ de vita æterna, Amoris ardentiſſimi; pleno cordis ore, occines Canticum laudis, gratiarum actionis, Reſignationis Animæ, Vitæ, & Corporis, in manus Domini: *Nunc,* inquies, *dimittis ſeruum tuum in pace. Quia viderunt oculi mei ſalutare tuum. Lumen ad reuelationem Gentium, & gloriam plebis tuæ.*

Pſ. 72.

Luc. 2.

Suauiterque ac piè Chriſto immoriens, Dabis operam; vt illa ſaltem die, Dominum à te non dimittas; ne-

neue committas aliquid, quod Quietem Animæ tuæ, tunc, & in hora mortis interturbare posset. Viue illa die, tanquam eadem moriturus.

§. V.

DIE QVINTA.

1 COMITARE Christum *ascendentem Hierosolymam* ad Cænaculum vsque, & cum eodem ingressus: obserua grande desiderium ipsius, sese hominibus communicandi, & inuiscerandi: *Desiderio inquit desideraui hoc* Pascha *manducare vobiscum, antequam patiar.* Cumque manducare cæpisset, quo Amore se insinuauerit! Corpus & Sangui- Luc. 22

nem suum distribuerit! Corda verò singulorum subingressus, eadem complexus, sese ijs vniuerit, in se transformauerit.

2 Et non inardesces? non desiderio desiderabis Manducare Pascha cum eodem? tam benigne inuitante: *Accipite, manducate, Hoc est Corpus meum. Hoc facite in mei commemorationem.*

Cumque mensæ illius accubueris, se ipsum tibi se porrigentem miratus fueris, porrectum amanter subintrantem receperis: Nonne eidem toto corde adhærebis? amorem amore repones? Nonne vicissim, Hoc Corpus, hoc Cor & animam tuam eidem trades? plenoque Spiritu effundes? Sed & simul
Io. 13. petes: vt sicut olim suos, ita

ita & te diligat in finem, nec sine vsu huius Sanctissimi Viatici, te patiatur discedere ex hac mortalitate. Verùm, sicut ipse discessurus, se reliquit in Sacramento Discipulis; ita tibi è Corpore hoc discessuro, se adiungat Comitem, Ducemque itineris ad æternitatem, quam ingredieris. Quod ipsum vt impetres :

3 Vide ne in arduis & difficultatibus huius vitæ, eo relicto in diuersa (impatientiæ, vel vanitatis, ac solatiorum mundi) abeas; sed viam dilectionis insistas illam, quam monstrauit dicendo : *Qui diligit me mandata mea seruat.* Io. 14.

O igitur *diligam te Domine virtus mea. Dominus firmamentum meum & refugium meum. Deus meus* Ps. 17.

adiutor meus, & sperabo in eum. Protector meus & cornu salutis meæ, & susceptor meus. Doce me facere voluntatem tuam. Paratum cor meum Deus, paratum cor meum. Iuraui & statui custodire iudicia iustitiæ tuæ.
ps. 118. *Iustificationes tuas custodiam, non me derelinquas vsquequaque. In toto corde meo exquisiui te, ne repellas me à mandatis tuis. In corde meo abscondi eloquia tua, vt non peccem tibi.*

Benedictus es Domine, doce me iustificationes tuas. Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam; & custodiam illam in toto corde meo. Deduc me in semita mandatorum tuorum, quia ipsam Volui. Inclina cor meum in testimonia tua, & non in auaritiam. Auerte oculos meos ne

ne videant vanitatem, in via tua viuifica me. Et custodiam legem tuam semper in sæculum, & in sæculum sæculi.

Ne autem conuincaris, lingua solum diligere, & non re & veritate; operi te accinge. Ama in veritate. Signa veri Amoris sunt: Velle se vnire, & fieri idem cum amato. Facere bene ac communicare bona sua eidem. Meminisse semper amati. Velle eidem semper placere, & quę ei placita sunt prompte facere. Velle semper esse cum amato, eumque habere præsentem.

Hæc præstat Christus in SS. Sacramento. Fit cibus, vt tibi quodãmodo incorporetur. Dat seipsũ ac omnia sua, Sanguinem, animã, vitam, merita. Intra te positus,

tus, tui obliuiſci nequit. Quæ non fecit facitque, vt
Mat. 28. in te ſui guſtum excitet. Tecum vt eſſet & cum alijs, vſque ad conſummationem ſæculi; ſpeciebus ſe illigauit Sacramentalibus. Semper tecum eſt, ſi tu eum ſemper adeſſe velis manducando.

Reciproca igitur Amo-
1. Cor. 6. rem. *Adhære Deo*, non verò tranſitorijs; & eris *Vnus cum eo ſpiritus*. Non illi te ſubtrahe, cuius es creatione, redemptione, ſanctificatione; & donaſti ſatis. Fac omnia in eius memoriam, honorem, & gloriam.

Io. 8. Fac dicere poſſis: *Ego quæ placita ſunt ei, facio ſemper*. Non enim ignoras quæ placita ſunt. Præſentem fac habeas per gratiam ſemper, per ſumptionem

SS.

SS. Sacramenti frequenter. per desiderium ac Communionẽ spiritualem frequentissimè: idque constanter, ac in vitæ tuæ finem.

§. VI.

DIE SEXTA.

1 VERSARI poteris cogitatione *in Bethania*, domo Marthæ & Mariæ, decumbente ad mortem Lazaro. Io. 11. Quantum inibi studium! quanta solicitudo! quantum desiderium impetrandæ sanitatis. Qui Nuntij, quæ instantiæ ad Dominum, vt veniret, vt sanaret. Sero quidem licet venerit; nihilominus quo Amore, qua teneritudine receptus, introductus!

Suscitato, sanato Lazaro, qua

qua gloria; qua gratiarum actione celebratus! Hæc ibi.

2 Ad te regressus fit ò Anima. Bethania, etiam domus Afflictionis dicitur.

Nunquid Bethaniam domi tuæ inueneris? Omniane tibi læta, sana ac integra? Nullæ animi afflictiones, infirmitates, debilitates? *Afflictus sum & hu-*
ps. 37. *miliatus sum nimis, rugiebam à gemitu cordis mei. Non est sanitas in carne mea, non est pax ossibus meis, à facie peccatorum meorum*, dicebat de se Psaltes Regius.

Dixeris credo & tu, non minus è vero, quam afflicti cordis sensu: *Infirmata est*
ps. 30. *in paupertate virtus mea. Sana me Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea.*
ps. 6. *Sana animam meam quia pec-*

peccaui tibi.

3 Vis igitur Sanus fieri. Et non desiderabis Medicum? Non ardenter simul ac fidenter accurres cum illa, quæ dicebat cum grandi fiducia: *Si tetigero tantum vestimentum eius, salua ero.* Cumque tibi Corpus & Sanguinem suum, ceu remedium contra languores propinauerit, Omnia vulnera sua ad sanandum te aperuerit; Tu apposito cordis & amoris ore, nonne inde sanitatem, ac robur? nonne vigorem animi suxeris? Certa sis fiducia: *Sanguis IESV Christi Filij Dei, emundabit te ab omni iniquitate.* Sanabit te ab infirmitate. Viues. Non morieris in æternum. Inde igitur exultabunda cum gratijs: *For-*

Mat. 9.

1. Io. 1

psl.117. *Fortitudo* inquies, *& laus mea Dominus, & factus est mihi in salutem. Saluum me fecit, quoniam voluit me. Saluasti de necessitatibus Animam meam.*
psl.22. *Exaltabo te Domine quoniam suscepisti me, nec delectasti inimicos meos super me. Domine Deus clamaui ad te, & sanasti me. Psallite Domino sancti eius, & confitemini memoriæ sanctitatis eius.*

Vide autem, ne posteaquam tam pretioso Corporis & Sanguinis, tam operoso Passionis & meritorum ac Vulnerum Christi remedio, pulsis morbis, vigorem receperis; iterum voluntarie, morbos & infirmitates adsciscas. Tibi quoque à Christo dictum intelligas:
Ioa.5. *Ecce sanus factus es, iam noli peccare; ne de-*

deterius tibi aliquid contingat. Cumque Memoria Nouissimorum sit, quæ facit non peccare: Mortis, Passionis Christi, ac tui obitus simul Memoriam (si quãdo, illa die vel maxime) frequentem facies. Sit & illius diei Communio, in Christi commemorationem. Eccl. 7

§. *VII.*

DIE SEPTIMA.

1 MEMORIA repetes *Triduum Mortis Christi*, quo mæsti, & huc illucque dispersi Apostoli; triste illud, desperabunde ingeminabant: *Nos autem sperabamus, quia ipse esset redempturus Israel*. Simul cogitabis, Quanto interim de- Lu. 24

desiderio ! quanta spe expectauerit Resurrectionem Filij, Mater Domini ! quam ardenter (tum ad erigendos Apostolos; tum ad gloriam Filij sui) institerit, pro acceleranda gloriosa resurrectione ! quantis suspirijs ingeminauerit illud: *Exurge gloria mea,*
ps. 36. *exurge psalterium, & cythara.* Cumque voti sui compos Mater, & ipsa Prima rediuiuum habere, salutareque meruisset; & eundem post, in medio sui stantem vidissent Apostoli: Quantis animis ! quanto gaudio solatioque repleta omnia ! tum ob deuictā mortem ac gloriam resurgentis; tum ob certam spem Resurrectionis olim propriæ, tanto solidatam, in Capite suo quod præcessit, argumento.

Age

2 Age, Lætantibus te inseram vis, ò Anima? Prius te siste tristioribus. Omniane tibi serena ac lucida? semperne Pascha? an quandoque sexta Parasceues feria? Nullæ tibi nubes? nulla tristia? nullæ vicissitudines? acerbitates, afflictiones animi? Plurimæ inquies. Igitur solatio indiges; ac illud appetis. At vnde consultius petes, quam ab eo; Qui solus est: *Pater misericordiarum, & Deus consolationis*; ab eo: *Qui consolatur nos in omni tribulatione nostra*. Quam à spe certa, futuræ olim gloriosæ Resurrectionis tuæ; quà fretus, in duris & arduis tristibusque, te animare possis dicendo cum Apostolo: *Non sunt condignæ Passiones huius temporis ad fu-*

1 Cor. 1.

Ro. 8.

futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis. Quando hoc corruptibile, induet incorruptionem. Certitudinem spei huius desideras? En pignus gloriæ, simul ac gloriosæ resurrectionis; Corpus & Sanguis Domini:
Io. 6. *Qui manducat inquit meam carnem & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, & ego resuscitabo eum in nouissimo die.* Hoc spei tuæ firmamentum, non arripies gaudenter? non seruabis diligenter in corde tuo? Non cum omni fiducia, & spei firmitate (recepto glorioso Christi corpore) plenus gaudio ac expectatione futuræ gloriæ:
Iob 19. *Credo* inquies *quod Redemptor meus viuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum, Et in carne mea videbo*

bo

bo Deum Saluatorem meum? Credo videre bona Domini in terra viuentium.

3 Exinde igitur, omnibus mundi viciſſitudinibus ſuperior effectus; *fac conuerſatio tua ſit in Cælis. Vnde Saluatorem expectamus Dominum noſtrum IESVM Chriſtum, qui reformabit Corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ.* Non immemor tamen illius; ad quod ruminandum te commonet Apoſtolus: *Ad cognoſcendum illum, & Virtutem reſurrectionis eius, & Societatem Paſſionum eius, Configuratus morti eius. Si tamen compatimur, vt & conglorificemur.* Ergo: *Communicantes Chriſti Paſſionibus gaudete; vt & in reuelatione gloriæ eius, gaudeatis exultãtes.*

Phil 3. Ad Phil. 3. Ro. 8. 1. Pet. 4.

Hæc

Hac ſpe, hac cogitatione armatus: quomodo non ad omnia aduerſa, dura, ac difficilia reſolutus, eadem in certamen vocare audeas! quomodo in Chriſti (Sacramentaliter tibi præſentis) aſſiſtentia, non tu quoq; magna attentes cum Paulo, dicaſq; prouocando: *Quis nos ſeparabit à Charitate Chriſti? tribulatio an anguſtia? perſecutio, gladius.* Sit & tibi, eadem quæ Paulo Concluſio: *Certus ſum, quia neque mors, neque vita, neque inſtantia, neque futura, neque creatura alia poterit nos ſeparare à Charitate Dei, quæ eſt in Chriſto IESV Domino noſtro.* Dictum eſt: ſit & factum. Vel hac potiſſimum, qua dixiſti, Communionis die.

Ro.8.

CAP.

CAP. X.

Alia magis practica eidem fini subseruientia.

IVcunda quidem ea, quæ proprio parta veniunt labore; proinde & Affectus, qui præuio profluxere ratiocinio. Cæterum, quia plerisque nec tantum temporis, immo nec suppetit studij aut virium, vt prolixioribus sese impendant Considerationibus: Hinc pauculas, vsitatorum affectuum, hic appono Praxes; quibus Communicaturi deuotionem suam fouere possint, aut excitare.

§. I.

Ante Communionem.

PRIMA.

OMmnipotens æternæ
Deus, Pater clemen-
tiſſime, & Paſtor animæ
meæ, quem adoraturus &
recepturus venio in SS. Sa-
cramento. Quam mundam,
quam puram, deuotam,
ſanctam eſſe oporteret Ani-
mam meam; vt appropin-
quare mereretur tibi Crea-
tori, Deo immenſo, quem
cæli cælorum non capiunt,
cuius pulchritudinem Sol
& Luna mirantur, ad cuius
conſpectum contremiſcunt
Angeli. Nunc autem be-
nigniſſime Domine, in om-
ni veritate vt agnoſco; ita
& confiteor nuditatem,

pau-

paupertatem , abominationes, peccata,& ſcelera mea. O quanta ! quam grauia ! quibus non menſam, non Corpus & Sanguinem; ſed iuſtiſſimam iram tuam merui. Indignus proinde, qui oculos meos leuem ad te.

Verumtamen, quia tanta eſt indigentia; quanta & indignitas mea! Quis dabit capiti meo aquam,& oculis meis fontem lacrymarum, vt defleam peccata mea, placem iram tuam; meque diſponam ad gratiam Corporis & Sanguinis tui. Tu ò Deus meus (quem in SS.Sacramento vere ac realiter præſentem credo & confiteor) etiam de petra producis aquas; percute ſaxeum cor meum, perfectæ contritionis & amoris tui iaculo, vt fluant lacrymæ

pœnitentis animæ. Te æſtimo, te amo ſuper omnia. Doleo quod te vnum, ſummum bonum offenderim. Parce, miſerere, da remiſſionis gratiam.

Tibi fonti miſericordiarum aperio vulnera mea; Tibi qui ſolus mundare potes conceptum in peccato, & de immundo mundum facere, de peccatore iuſtum & ſanctum, Tibi aperio mala & miſerias meas; Tu pretioſo ſanguine, fuſo in redemptionem animæ meæ; laua, purifica, munda me ab omni iniquitate mea. Sana, illumina, orna me; vt cum fuero mundatus, ornatus veſte Nuptiali gratiæ tuæ, cum timore & tremore, cum humilitate & amore, cum propoſito, & intentione congrua ſaluti meæ, te

re-

recipiat anima mea: tecum ſic vniatur, vt nunquam à te recedat, tibi ſeruiat, te amet; te demum facie ad faciem perfruatur in glòria.

SECVNDA.

QVo accedo, quo propero ò Anima? Ad ſacrum Altare, ad locum ſanctum & terribilem, in quo Deus deſcendit ad me, & ego aſcendo ad illum. Illum ſanctum, iuſtum, omnipotentem. Ego immundus, peccator, nihilum.

O Sancti Angeli miniſtri Altiſſimi, diligentiſſimi ad faciendam Voluntatem ipſius, ſoliciti de bono & ſalute animarum. Tu in primis Sancte mi Angele Cuſtos; per gloriam qua frui-

mini in Cælo, per amorem quo ferimini in vestrum & meum Redemptorem; ducite, dirigite me: vt digne accedam & Communicem. ad gloriam & laudem ipsius, ad vtilitatem meam, & totius Ecclesiæ suæ sanctæ.

O Sancti, & Sanctæ Dei, specialiter vos Patroni mei, nunc potissimum orate pro me, & impetrate mihi abundantiam doloris & lacrymarum, puritatem animæ, aliasque virtutes ac ornatus animæ, quibus digne compaream in conspectu eius.

O purissima & sanctissima Virgo, quæ in tantum placuisti Dei Filio, vt eum amore tui è sinu Patris, in tabernaculum Virginalis vteri detraxeris, vtque dignum

gnum eius fieres habitaculum, Spiritu Sancto cooperante præparata ſis; fac ſanctiſſima tua interceſſione ac meritis, vt Cor meum, eundem, digno recipere mereatur habitaculo.

O Spiritus diuiniſſime, Te inuoco, te oro. O conſolator optime dolentis Animæ. Pater orphanorum, mundator cordium, Sanctificator Animæ. Tu qui ſupra omnes creaturas ſanctificaſti Virginem, vt dignè conciperet Saluatorem. Qui dulciter præparaſti corda Diſcipulorum, ad aduentum Tui. Veni & præpara animam meam, cor meum, potenti Virtute tua ac donis tuis; vt euadam viuum ac dignum Templum Dei viui & veri, in ſancta appropinquantis Communio-

ne. Veni Sancte Spiritus, & emitte cælitus lucis tuæ radium.

O æternæ Pater, Pater misericordiarum, cui proprium est misereri & parcere. Scio equidem, quod Sanguis Filij tui, multo potentius quam Abelis, clamet contra me rebellem mandatis tuis, ingratum tuis beneficijs. Sed ecce adsto compunctus ac dolens: Propitius esto mihi peccatori. In satisfactionem tuæ Iustitiæ & offensæ bonitatis; offero vitam, merita, passionem & mortem eiusdem Filij tui. Recipe me in tuam gratiã, purifica, ablue, admitte ad mensam tui Vnigeniti.

O Bone IESV, te ipsum vt præsentem credo, ita precor Deum & hominem,

Fi-

Filium Virginis, Summum Sacerdotem, Iudicem viuorum & mortuorum. Qui obtulisti Deo Patri Hostiam immaculatam in Altari Crucis, pro nobis peccatoribus; dedisti carnem tuam in cibum, & sanguinem in potum dicendo: Hæc quotiescunque feceritis, in mei memoriam facietis. Te supplex oro per ineffabilem charitatem, & per Sanguinem tuum pretiosum, grande pretium salutis meæ, benigne exaudi me.

Matt. 15,

IESV, liberalissime Domine & Saluator mi, qui in Mundo versatus, ad te vocare dignatus es: Venite ad me omnes. En ego pauper mendiculus tuus: Reffice me. IESV, pientissime Pater, qui inuitas om-

Matt. 15,

nes: Venite,comedite panem meum. En ego pau-
Pro. 9 per famelicus;ciba me.
IESV, Amator omnium dicens: Comedite amici,& bibite, & inebriamini cha-
Can 5 rissimi. En sitibundus ego, Inebria me amore tui.

Hæc tua illicia, hæc inuitamenta, erigunt & attrahunt me; vt ausim accedere ad hoc tuum SS. Sacramentum, Panem vitæ.

Confiteor equidem indignitatem meam,ac indispositionem qua te recipio. Toties autem recipiendo, quod nam in me augmentũ gratiæ, & amoris tui? in quo melior effectus? vitam meam emendaui? Imperfectus, peccator, vt ante. Non igitur sum dignus vt
Mat. 8. intres sub tectum meum:

Confiteor me Adamum il-

illum inobedientem, nudum, fugitiuum. Sed ò bone DEVS, ne proijcias me à facie tua. Sum prodigus ille Filius, qui reliqui te bonum Patrem, vt satisfacerem prauis inclinationibus ac voluntati meæ: Vnde non sum dignus amplius vocari Filius tuus. Tamen redactus ad extremam illam miseriam, vt fame peream; redeo intra me pœnitẽtia, ad te reducor amore. Scio, quod quidem sis Deus meus; sed tamen, etiamnum Pater meus; Paterna igitur erga perditum retines viscera: Hinc te præeunte, à te postulo: Pater noster, Panem nostrum quotidianum, da nobis hodie.

Ps. 50.

Lu. 15.

Sum Publicanus ille, indignus qui leuem oculos in

Cælum. tamen Tu Deus, Luc. 18 propitius esto mihi peccatori. Sum miserabilis, seruus & mancipium vanitatis, inordinatarum Passionum mearum, pauperrimus, absque meritis, iniquitate plenus. Tu es Dominus, omnipotens, Pater misericordiarum, Deus dignus omni honore. Tua gratia suppleat defectum meum, tua misericordia ignoscat peccatis meis, sanguis tuus abluat, emundet me; tuus spiritus præparet me, tua merita ornent, vt dignè recipiam te.

IESV IESV te desidero. Desiderat anima mea ad te.

IESV propter bonitatem tuam Veni. Veni dilecte mi & me subleua ad te, vt fruar te. Cumque caro tua sit cibus, Sanguis

tuus

tuus vere potus; Pauper hic ac eſuriens, qui manducat te, viuat propter te, viuat in æternum. IESV ſis mihi IESVS.

§. II.

In, & poſt Communionem.

PRIMA.

O Bone IESV, Domine, Deus, Creator, Saluator mi; millies te ſaluto, millies ac millies bene veneris in hanc pauperem, anguſtam, ruinoſam domunculam Animæ meæ. Te deſiderauit anima mea, te quæſiuit & inuenit. Ingredere ò benedicte Domini, ſummum bonum; poſſide, quieſce in medio cordis mei: non amplius meo, ſed to-

toto Tuo. Ibi compatere necessitatibus meis, exaudi orationem meam. Deus, vnicum bonum meum, Renuntio tui amore, omni alteri amori ac Bono. Infinities tibi ago gratias. Inuito omnes Creaturas in Cælo & in terra, vt laudent mecum, benedicant, gratias agant infinitæ bonitati tuæ; pro grandi hoc dono, diuitijs, ac ineffabili misericordia. qua in tantum demisisti, vilificasti te; vt descenderes ad me, venires, intrares: te ipsum in cibum ac potum dares, diuinitatis tuæ participem efficeres me. Quid retribuã tibi Domino, pro omnibus his quæ retribuisti mihi. En prociduus ad diuinos pedes tuos, recepto Calice salutis meæ, cum Propheta

ta Nomen tuum Sanctum inuoco, & tibi offero hoc Sanctissimũ Sacramentum, compendium tuorum omnium mirabilium, memoriale Passionis tuæ; in supplemẽtum paupertatis meæ, in satisfactionem pro peccatis meis ac totius Mundi. Vltra hoc quod retribuam, non inuenio. Tu tibi solus sufficis. Te tibi dignus es. Si tamen non despicis etiam paupertatem meam: En, in simplicitate cordis mei, lætus tibi offero cor, & ardentissimum affectum meum. Suscipe me ipsum in seruum perpetuum, redemptum olim pretioso sanguine tuo, hodie refectum Sanctissima humanitate tua.

O Pater clementissime, tibi hic in medio cordis mei

sito,

ſito, ſupplico; dimitte omnia peccata mea, corrige errores, libera à pœnis: fac benignitatem ac pacem cum anima mea quam elegiſti, vt habitares in ea. Nulli alteri in æternum pateat. Tu ſolus Sanctus, tu ſolus Dominus, tu ſolus altiſſimus, ſis ac Regnes in ea. O Paſtor bone non permittas, vt amplius tibi per peccatum pereat erratica hæc ouis; ſed ſequatur te, audiat in omnibus vocem ac Voluntatem tuam.

O Deus cordis mei, Amor tui totum me poſſideat. Præcepiſti vt te diligerem ex toto corde, ex tota Anima, & ex totis viribus; da vt obediam in omnibus ac feruem mandata tua: nihil velim, nihil deſiderem, nihil amem niſi

te,

te, & propter te. Fac misericordiam mecum. Sed & cum omnibus, quos pretioso sanguine redemisti. Exalta Sanctam Ecclesiam tuam; prouide necessitatibus, eradicando Schismata ac Hæreses. Illumina omnes Infideles. Conserua pacē inter Principes Christianos. Succurre omnibus tribulatis. Consolare afflictos, amicos & inimicos meos. Da omne desiderium ijs pro quibus orare teneor, volo; & tu vis vt orem. Concede Viuis veniam, Defunctis requiem, omnibus nobis vitam æternam.

SECVNDA.

O Domine, quanta dignatio, quanta humili-

litas tua! Diuertere dignatus es, ad vile ac pauperrimum tuguriolum Animæ meæ. Sic non erat satis amori tuo, vt nascereris in stabulo! Ingressus es, ac toties ingrederis, hanc tenebricosam, abominabilem speluncam peccatricis Animæ meæ: Non per gratiam modo, sed dignissimam, realem, præsentiam tuam. Vnde hoc mihi quod inuenerim gratiam in oculis tuis! Ioannes Præcursor tuus, non erat dignus soluere corrigiam calceamentorum tuorum. Petrus
Lu.3. reuerenter petiit: Exi a me Domine quia peccator sum. Quid dicam ego hodie?
Luc. 5. cum te præsentem, cum sedentem in profanati cordis mei latibulo video, admiror, & gaudeo de te.

O

O IESV Domine virtutum, Rex gloriæ, quomodo non horruisti immundum cor & animam meam? ò bonitas, ò charitas, ò misericordia gloriosissimi Domini mei.

Vt vel tantillum correspondeam tanto Amori tuo mi Deus. Te cum omni abijssali profunditate Cordis mei Adoro. O Veritas incomprehensibilis, Persona diuina, Fili æterni Patris. Te stringo cordialiter. O IESV misericordia mea, salus & vita mea, hæreditas & possessio mea, cibus & refectio, thesaurus, diuitiæ, & omne bonum meum: Vtinam totus in laudem & amorem tui eliquer ac diffluam. Te laudo, benedico, gratias ago Redemptor animæ meæ, toto corde,

ani-

anima, & viribus meis; quia visitare dignatus es hanc ingratam creaturam tuam. Ingrata quidem laus ex ore peccatoris, & labijs pollutis; Suppleant igitur pro me vniuersa, nec cessent
ps. 106. laudare te. Laudate Dominum omnes gentes, laudate eum omnes populi. Quoniam confirmata est super nos misericordia eius, & veritas Domini manet in æternum. Laudent te omnes Sancti & Electi tui. Magnificate Dominum me-
ps. 33. cum & exaltemus nomen eius.

Quid autem retribuam tibi, pro his omnibus, quæ cum tua diuinissima ditissimaque præsentia retribuisti mihi! Quantum possum, totum me tibi do ac tribuo. Irreuocabilis sit donatio,

qua

qua me totum tibi consigno, do, dedico. Dispone de me iuxta beneplacitum tuum. Mi Domine, suscipe totam libertatem meam, accipe memoriam, intellectum, voluntatem. Quidquid habeo tu mihi largitus es, id totum tibi restituo, & tuæ voluntati trado gubernandum: solum amorem tui, cum gratia tua mihi dones, & sum satis diues.

Scio quod amor tuus locum in me non inueniet, nisi prius eieceris de me, id quod tibi displicet. Eijce igitur, vel cum benignæ correctionis flagello, omnem malitiam, iram, inuidiam, acediam. Fac, procul à me sint Mundi & Carnis desideria, vana eius illicia. Cor mundum, cor nouum crea in me Deus; sic esse

po-

potero ſemper obediens Filius,ſeruus fidelis.

O dulcis IESV, exaudi deſiderium, orationem, & planctum meum. Si vnuſquiſque deſiderabat tangere
Luc. 6 te; eo quod virtus exibat & ſanabat omnes. Ego totum tè recipio, corde ambio: virtus igitur tua, ſanet omnes infirmitates meas, tepiditatem & languores meos; vt nouo feruore ac viribus ſeruiam tibi. O IESV, via, veritas, & vita es; non à te vnquam deuiem, non diſcedam à te. Tecum, in te, & per te ambulem; donec veniam ad montem ſanctum tuum. O IESV, cuſtodi & defende me;ne vnquam committam,quod me ſeparet à te.

Hæc, conformiter ad *Manuductionem ſimplicium* adie-

adiecta sunt. Quæ si tempori & deuotioni explendæ non sufficiunt, en plura, eaque à viro secundum Cor Dei fructuose adhibita.

CAP. XI.

PRAXIS DAVIDICA.

QVa quidem Psaltes Regius varijs in circumstantijs: Tu Communionis tempore vti poteris. Atque adeo.

§. I.

ANTE COMMVNIONEM.

I.

Affectu Pœnitentis.

Deus tu scis insipientiam meam

ps.68. meam,& delicta mea à te
non sunt abscondita.
50. Quoniam iniquitatem
meam ego cognosco,& pec-
catum meum contra me est
semper. Tibi soli peccaui
& malum coram te feci.
31. Delictum meum cogni-
tum tibi feci, & iniustitiam
meam non abscondi. Dixi:
confitebor aduersum me in
iustitiam meam Domino, &
tu remisisti impietatem pec-
cati mei.
37. Non est sanitas in carne
mea à faciæ iræ tuæ; non
est pax ossibus meis, a facie
peccatorum meorum. Quo-
niam iniquitates meæ su-
pergressę sunt caput meum,
& sicut onus graue grauatæ
sunt super me. Putrue-
runt & corruptæ sunt cica-
trices meæ. Miser factus
sum & curuatus sum vsque

in

in finem tota die contristatus ingrediebar. Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus, & non est sanitas in carne mea. Afflictus sum & humiliatus sum nimis, rugiebam à gemitu cordis mei. Domine ante te omne desiderium meum, & gemitus meus à te non est absconditus.

Exitus aquarum deduxe-
runt oculi mei, quia non cu- 118.
stodierunt legem tuam.

Iniquitatem odio habui, & abominatus sum; legem autem tuam dilexi.

Odiui Ecclesiam mali- 25.
gnantium, & cum impijs non sedebo.

I I.

Affectu veniam supplicantis:

Reminiscere miseratio- 29.

Q num

num tuarum Domine, &
misericordiarum tuarum,
quæ à sæculo sunt. Deli-
cta Iuuentutis meæ,& igno-
rantias meas ne memineris.
Propter nomen tuum Do-
mine propitiaberis peccato
meo, multum est enim. Vi-
de humilitatem & laborem
meum,& dimitte vniuersa,
18. delicta mea. Delicta quis
intelligit? ab occultis meis
munda me Domine, & ab
alienis parce seruo tuo.
Miserere mei Deus, se-
55. cundum magnã misericor-
diam tuam.Et secundũ mul-
titudinem miserationum,
tuarũ,dele iniquitatem meã.
Amplius laua me Domine
ab iniquitate mea & à pec-
cato meo mũda me. Asper-
ges me Domine hyssopo &
mundabor, lauabis me &
super niuem dealbabor.
Auer-

Auerte faciem tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele. Cor mundum crea in me Deus, & Spiritum rectum innoua in visceribus meis. Libera me de sanguinibus Deus Deus salutis meæ, & exultabit lingua mea Iustitiam tuam.

Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis 129.
sustinebit. Quia apud te propitiatio est, & propter legem tuam sustinui te Domine. Quia apud Dominum misericorda, & copiosa apud eum redemptio. Et ipse redimet Israel, ex omnibus iniquitatibus eius.

Domine ne memineris 78.
iniquitatum nostrarum antiquarum, cito anticipent nos misericordiæ tuæ; quia pauperes facti sumus nimis.

Adiuua nos Deus ſalutaris noſter, & propter gloriam nominis tui Domine libera nos, & propitius eſto peccatis noſtris, propter nomen tuum.

Conuerte nos Deus ſalutaris noſter, & auerte iram tuam à nobis. Numquid in æternum iraſceris nobis? aut extendes iram tuam à generatione in generationẽ. Deus tu conuerſus viuificabis nos, & plebs tua lætabitur in te. Oſtende nobis miſericordiam tuam, & ſalutare tuum da nobis.

Ne auertas faciem tuam
26. à me, ne declines in ira à
ſeruo tuo.

Ne proijcias me à facie
30. tua, & Spiritum ſanctum
tuum ne auferas à me.

Quę vtilitas in sãguine meo
29. dũ deſcendo in corruptionẽ.

Il-

Illustra faciem tuam super seruum tuum, saluum me fac in misericordia tua.
Ab omnibus iniquitatibus 34.
meis erue me.

III.

Affectu, Emendationem, & obseruantiam legis diuinæ promittentis.

Iuraui & statui, custodire iudicia Iustitiæ tuæ. 118.
Paratus sum & non sum turbatus, vt custodiam mandata tua. Portio mea Domine dixi custodire legem tuam. In toto corde meo abscondi eloquia tua, vt non peccem tibi. In mandatis tuis exercebor, & considerabo vias tuas. Et custodiam legem tuam semper in sęculum sæculi.
Domine deduc me in 5.

iuſtitia tua propter inimi-
cos meos, dirige in con-
ſpectu tuo viam meam.

Dirige me in veritate
24. tua & doce me, quia tu es
Deus Saluator meus, & te
ſuſtinui tota die.

85. Deduc me Domine in
via tua, & ingrediar in ve-
ritate tua; lætetur cor
meum, vt timeat nomen
tuum.

Illumina oculos meos ne
12. vnquã obdormiam in mor-
te: ne quando dicat inimi-
cus meus, prævalui aduer-
ſus eum. Quoniam tu il-
luminas lucernam meam
Domine, Deus meus illu-
mina tenebras meas.

142. Doce me facere volunta-
tem tuam, quia Deus meus
es tu.

Perfice greſſus meos in
16. ſemitis tuis, vt non mouean-
tur

tur vestigia mea.

Manda Deus virtuti tuæ: 67.
confirma hoc Deus quod operatus es in nobis.

IV.

Affectu desiderantis Christi præsentiam.

Quemadmodum deside- 40.
rat ceruus ad fontes aquarum; ita desiderat anima mea ad te Deus. Sitiuit anima mea ad Deum fortem viuum, quando veniam & apparebo ante faciem Dei.

Tibi dixit cor meum: 26.
exquisiuit te facies mea, faciem tuam Domine requiram.

Deus Deus meus, ad te de luce vigilo. Sitiuit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea. In-

terra deserta & inuia & in
aquosa, sic in Sãcto apparui
tibi, vt viderem virtutem
tuam & gloriam tuam.
142. Expandi manus meas ad
te, anima mea sicut terra
sine aqua tibi. Velociter
exaudi me Domine, defecit
Spiritus meus.
34. Et nunc quæ est expecta-
tio mea, nonne Dominus?
& substantia mea apud te
est.
15. Dominus pars hæredita-
tis meæ & calicis mei, tu
es qui restitues hæreditatem
meam mihi.
Clamaui ad te Domine,
141. dixi tu es spes mea, portio
mea in terra viuentium.
16. Ego autem in Iustitia
apparebo conspectui tuo,
satiabor cum apparuerit glo-
ria tua.
71. Quid mihi est in cælo
&

& à te quid volui super terram? defecit caro mea & cor meum, Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.

Memento nostri Domine in beneplacito populi tui, Visita nos in Salutari tuo. 105.

Ad videndum in bonitate electorum tuorum, ad lætandum in lætitia gentis tuæ, vt lauderis cum hæreditate tua.

Vt confiteamur nomini tuo, & gloriemur in laude tua.

§. II.

IN ET POST COMMVNIONEM.

Affectu Amantis, Gratias agentis, laudantis, benedicentis.

Diligam te Domine for- 17.

titudo mea, Dominus firmamentum meum & refugium meum. Deus meus adiutor meus & ſperabo in eum, protector meus & cornu ſalutis meæ, & ſuſceptor meus.

71. Quid mihi eſt in cælo,& à te quid volui ſuper terram! defecit caro mea, & cor meũ; Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.

72. Mihi adhærere Deo bonum eſt,& ponere in domino Deo ſpem meam.

62. Adhæſit anima mea poſt te, me ſuſcepit dextera tua.

26. Pater meus & Mater mea dereliquerunt me, Dominus autem aſſumpſit me.

32. In eo lætabitur cor noſtrum, & in nomine ſancto eius ſperauimus.

45. Dominus virtutum nobiſ-

biſcum , ſuſceptor noſter
Deus Iacob .

Benedic anima mea Do-
mino, & omnia quæ intra 102.
me sũt nomini Sancto eius.
Benedic anima mea Domi-
no,& noli obliuiſci omnes
retributiones eius. Qui pro-
pitiatur omnibus iniquitati-
bus tuis , qui ſanat omnes
infirmitates tuas . Qui re-
dimit de interitu vitam
tuam , qui coronat te in mi-
ſericordia & miſerationibus.
Qui replet in bonis deſide-
rium tuum .

Quid retribuã Domino , 115.
pro omnibus quæ retribuit
mihi: Calicẽ ſalutaris acci-
piam,& nomen Domini in-
uocabo .

Benedictus Dominus
Deus Iſrael a ſæculo & vſ- 40.
que in ſæculum; fiat fiat .

Venite, audite & narrabo 65.

omnes qui timetis Deum,
quanta fecit Deus animæ
meæ. Benedictus Domi-
nus, qui non amouit oratio-
nem meam, & miſericor-
diam ſuam à me.
71. Benedictus Dominus
Deus Iſrael, qui facit mira-
bilia ſolus: & benedictum
nomen maieſtatis eius in
æternum.
Memoriam fecit mirabi-
110. lium ſuorum miſericors &
miſerator Dominus; eſcam
dedit timentibus ſe.
Præparaſti in conſpectu
22. meo menſam, aduerſus eos
qui tribulant me. Impin-
guaſti in oleo caput meum,
& calix meus inebrians
quam præclarus eſt.
Sit gloria Domini in
103. ſæculum, lætabitur Domi-
nus in operibus ſuis.
9. Confitebor tibi Domine
in

in toto corde meo, narrabo
omnia mirabilia tua.

Omnis terra adoret te, 69.
& psallat tibi, psalmum di-
cat nomini tuo.

Confiteantur tibi populi 66.
Deus, confiteantur tibi po-
puli omnes.

Lætentur, & exultent
gentes, quoniam iudicas
populos in æquitate, & gen-
tes in terra dirigis.

Exaltabo te Deus meus
Rex, & benedicam nomini 144.
tuo in sæculum, & in sæcu-
lum sæculi.

Per singulos dies benedicam tibi, & laudabo nomen tuum in sæculum & in sæculum sæculi. Laudationem Domini loquetur os meum, & benedicat omnis caro nomini Sancto eius in sæculum, & in sæculum sæculi.

Be-

Benedicite Domino omnes Angeli eius, potentes Virtute, facientes verbum

102. illius, ad audiendam vocem sermonum eius. Benedicite Domino omnes Virtutes eius, ministri eius, qui facitis voluntatem eius. Benedicite Domino omnia opera eius, in omni loco dominationis eius benedic anima mea Domino.

12. Exultauit cor meum in salutari tuo, cantabo Domino qui bona tribuit mihi, & psallã nomini Dñi altissimi

Omnia ossa mea dicent,

34. Domine quis similis tibi.

Cor meum & caro mea,

83. exultauerunt in Deum viuũ.

Cantabo Domino in vita mea, psallam Deo meo quamdiu sum.

Quia satiauit animã inanẽ.

106. & animã esurientẽ satiauit bonis. Do-

Domine quid eſt homo quod innotuiſti ei, aut filius hominis quia reputas eum. 243.

Ego autẽ mendicus sũ & pauper Dn̄s ſolicitus eſt mei

Quis ſicut Dominus Deus noſter qui in altis habitat, & humilia reſpicit in Cælo & in terra. 112.

Quoniam excelſus Dominus & humilia reſpicit, & alta à longe cognoſcit. 137.

Non eſt ſimilis tui in fortibus Domine, & non eſt ſecundum opera tua. 83.

Omnes gentes quaſcumque feciſti venient, & adorabunt coram te Domine, & glorificabunt nomen tuum. Quoniam magnus es tu & faciens mirabilia, tu es Deus ſolus.

Quam bonus Iſrael Deus, his qui recto ſunt corde. 72.

Quam magna multitudo 30.

dul-

cedinis tuę, quam abſcondiſti timentibus te. Perfeciſti eis qui ſperant in te.

62. Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea, & labijs exultationis laudabit os meum.

84. Audiam quid loquatur in me Dominus; quoniam loquetur pacem in plebem ſuam. Et ſuper Sanctos ſuos, & in eos qui conuertuntur ad cor.

Dulcis & rectus Domi-
24. nus, propter hoc dabit legem delinquentibus in via. Diriget manſuetos in iudicio, docebit mites vias ſuas.

106. Confiteantur Domino miſericordiæ eius, & mirabilia eius filijs hominum. Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in ſæculum miſericordia eius.

Præ-

Præparationibus ac Gratiarū actionibus copiosioribus, te non occupo. Suggeret pietas & deuotionis spiritus; immo & libri Precationum obuij.

Modos, quibus se varij in particulari præparauerint Sancti: Dionysius Areopag. S. Bonauen. ac Sanctæ Dei, Mechtildis, Gertrudis &c. pluribus inuenies in ipsorum Vitis, ac apud Patrē Fuluium Androtium, & alios. Mihi propositum erat, frequentem SS. Eucharistiæ vsum, è Christi & Ecclesiæ sensu, Sanctum ac Salubrem proponere: quod factum velim.

A.M.D.G.

INDEX CAPITVM.

Re-

Quo-

De-

FINIS.



